

Praelectiones

ex Exegesi Antiqui Testam.
quas habuit in Rom.-Cath. Eccl.
Academia Petropolitana

Alexander Grygajtis
eiusdem Academiae Professor

a. s. 1909/10.

Canticum Debhorae.

Commentarius in lib. Jud. cap. I.

Praefatio

Locus in Canone. Liber Judicum est VII ordine iuxta can. Conc. Trid. et IIus IIae classis in canone Hebraico.

Nomen. Liber Judicum in biblia hebraica שׁוֹפְטִים vocatur, in LXX „κριταί"; quaedam mss titulum longiorem praeseferunt: „κριταὶ τοῦ Ἰσραήλ", vel „αἱ τῶν κριτῶν πράξεις." S. Hieron. vocavit eum: „liber Judicum". – **Nomen** suum liber nactus est ab argumento, seu ab iis viris, qui rebus Hebraeorum post Josue usque ad regnum institutum praefuerunt. Vox שׁוֹפְטִים stricte sumpta non necessario significat „Judices" nostro sensu, sive viros qui ad justitiam faciendam pro tribunali sedent, – sed potius illos viros, qui populum ab hostibus liberabant, quique proinde melius dici debent: salvatores, liberatores (cnf. Nehem. IX, 27). –

Apud alios antiquos populos iudices extitisse notum est, sed munus eorum non illud idem fuit, ac munus Judicum Hebraeorum. Livius (28,37 et 30,7)

testatur apud Carthaginienses „iudices" fuisse quasi consules vel magistratus, qui sine interruptione sibi succedebant. Teste Josepho Flavio (lib. contra Apionem 1,21) tempore Nabuchodonosoris incolae Tyri iudices quoque suos habebant.

Iudices Hebraeorum non erant administratores, munus eorum erat substantialiter militare. Populo ad tempus tantum praeerant et quidem occasionaliter, cum eos Deus ad liberandum populum reum coram Deo, sed poenitentem ab oppressione inimicorum suscitaret.

Maiores - minores. Numerus iudicum, si omnes prae oculis habeamus, 15 fuit. Fata quorundam brevissime describuntur. Remanent 6, ab exegetis maiores vocati, quorum acta fusius narrata sunt. Hi sunt: Othoniel, Aod (Ehud), Debora cum Barac, Gedeon, Jephte et Samson, - caeteri - minores. Iudices maiores ad diversas tribus pertinebant et succedebant sibi serie non continua.

Propositum auctoris, scopus, argumentum. Liber Iudicum argumento est gravis, periodum enim praeparationis regni Israel adumbrat.

Auctor omittit omnia, quae ad propositum suum non pertinent. Argumentum accuratius determinari poterit, si ad propositum auctoris advertamus. Duabus appendicibus exceptis (5 cap. ultima), liber constituit unum homogenum. Introductio ideam generalem (pamatinę) exponit et corpus operis praeparat: 1) Populus Israel est beatus, cum Deo fidelis sit, 2) infelix, si cultum Jahve deserit; 3) condonatus (laimėjęs kaltybės dovanojimą) si poenitentiam agit et ad Deum convertitur. Facta in libro ipso contenta veritatem huius triplicis legis confirmant et ideam generalem evolvunt.

Scopus auctoris clare patet cap. II, 11-19. Hic est: Infidelitas Deo illata semper punitur; quandocumque (kuomet) Israel Deum deserit (apleidžia), Jahve tradit (atiduoda) eum in manum inimicorum; unde sequitur Jahve solum esse Deum et cultum eius solam veram religionem.

Unde patet finem esse religioso-moralem. Finis auctoris est etiam historicus, nam thesim ope historicorum factorum probat.

Denique duo facta in appendice narrata confirmant animadversionem iam repetitam cap.

17, 6; 18, 1.31; 21, 24: „In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat". Haec lamentabilem moralitatis et religionis statum in Israel ante constitutionem regni indicant. Inde fortassis fuit finis quoque auctoris, necessitatem regis instituendi praeseferens: iudice mortuo Israelitae iterum in idololatriam incurrunt; auctor inculcare vult, ut dominio perenni se subiiciant.

Generale argumentum libri.

Librum Judicum apte dividere possumus in tres partes: introductionem, corpus et duas appendices

I. Introductio (1–2,5) statum politicum Hebraeorum post mortem Josue et eorum relationes ad Chananaeos paucis delineat.

II. Corpus libri (2,6–16) acta sex maiorum iudicum continent. Hic methodus genetica auctoris manifeste apparet: continuo repetuntur quattuor ideae: peccatum, oppressio Hebraeorum ab inimicis, poenitentia populi et deliberatio. Dein sequuntur

acta cuiusvis iudicis.. (Beka du povedu.)

Alii aliter corpus libri dividunt, [ex. gr. Keil[1] dividit in tres partes iuxta tres apparitiones angeli comminantis, quibus Jahve populum a violatione foederis absterruit. Prima comminatio angeli inserta est ipsi exordio corporis libri (2,1), quam secutae sunt invasio Chusan (3,8), dominatio Moabitarum in partibus meridionalibus (3, 12) et Chananaeorum in septentrionalibus (4,1). Ei igitur respondet prima periodus aetatis iudicum et prima pars libri 3,7–5,32. Porro secunda comminatio (6,7 sq.), quae tempore oppressionis Madianiticae per prophetam facta est, ad alteram periodum pertinet librique partem secundam introducit (6,1–10,5). Tertia denique (10,10 sq.) dominationem Ammonitarum in terra transiordanica et Philistaeorum in regione cisiordanica respicit. Ergo referenda est

1) 1807–1888 protestans Germanus; directione conservativus; fidelis discipulus et asecla scholae orthodoxae a suo magistro Hengstenberg fundatae. Initio professor Dorpatensis; a. 1858 Lipsiam emigravit. Multa opera scripsit. Ad rem: Comment. in Josue, Judicum et Ruth. Leipzig 1863; II ed. 1874

ad tertiam periodum iudicum et tertiam partem libri (10,6 – 16,31). Sed haec divisio est artificialis; [dirbtinas, be pagrindo] utrum redactor libri prae oculis has apparitiones habuerit, necne, res est omnino arbitraria, immo nullo fundamento nixa. Hanc divisionem sequitur Cornely. Praeferenda est I, uti simplex, naturalis.

III. Duae appendices (cp. 17–21), quae internum populi statum tribuumque unionem cultu idolorum, corruptione morum turbari ostendunt. Prima appendix (17–18) historiam idololatriae Michae et Danitarum refert. Altera narrat crimen [prasikaltę] Gabaonitarum et inde secutum bellum, quod exterminatione fere integrae tribus Beniamin terminatum est.

Hi duo eventus nullum internum nexum cum corpore libri habent. Adiuncti sunt uti supplementum, nam illa periodo locum habuerunt.

Bibliographia libri.

27/IV 1928

Ex Patribus: 1) S. Augustinus circa an. 419 Quaestionum in Heptateuchum libros septem scripsit (Migne P.L. t. 34); ultima pars in 56 qu. commentarium in librum Judicum usque ad 15,12 continet. Sequitur versionem antiquam latinam. Inde valor eius citationum. [svarbiausias] Habet problemata

Ephod, Jephte etc.

2) Procopius de Gaza sequitur antiquam versionem Graecam: usus est hexaplis Origenis et Josepho Flavio (Migne P. G. t. 87). In genere patres ex versionibus interpretati sunt.

Medio aevo exegesis philologica (filologická exegese) textus hebraici incipit per opera doctorum rabbinorum: 3) Raši (Rabbi Salomon Isaac 1040-1105) et 4) David Kimhi (Rabbi 1160-1235).

Critica exegesis incipit commentario 5) Studer „Das Buch der Richter" 1835. Commentarius diligenter factus.

6) Keil „Josue, Richter, Ruth" (commentarius) Leipzig I ed. 1863; II-1874.

7) Bertheau (prof. Göttingens). „Das Buch der Richter und Ruth" Leipzig 1883. Contra quem saepe contendit, ex altera parte utiles explicationes non raro sumit.

8) P. Hummelauer S. J. „Commentarius in libros Judicum et Ruth" Parisiis 1888 (Cursus S. Scripturae). Opus grave, completum, primum locum tenens inter opera catholica saec. XIX, attamen est iam obsoletum, quia fines antiquorum commentariorum vix transgreditur et problemata litteraria in eo deficiunt.

(9) Vigouroux „La bible et les decouvertes modernes" Paris. 4 tomi ed VI^a 1896. In III° tomo pag 31-244 erudite scripsit de aevo Judicum.)

10) Moore „Judges" Edinburgh 1895. Ab eo ~~x~~ incipit critica litteraria.

11) **Budde** „Das Buch der Richter" Leipzig 1897. B. professor theol. protest. in Strassburg, directione rationalista, eius commentarius pertinet ad collectionem Marti, prof. Bernensis.

12) **Nowack** prof. Strassburgensis „Richter, Ruth" Göttingen 1900. Directione magis orthodoxa.

13) **Lagrange** O.P. „Le livre de Juges" Paris, Lecoffre 1903. Repraesentat catholicorum criticam litterariam. in coll. coram Etudes bibliques"

14) **Zapletal** O.P. „Das Debhoralied" Freiburg in der Schweiz 1905. — „Der biblische Samson" Freiburg i. d. Schweiz 1906.

15) **Riessler** (Prof. kath. in Tubingen) Zum Debhoralied in „Biblische Zeitschrift" 1909, S. 260-278 [1])

16) Zapletal, Das Buch der Richter, Münster i. W. 1923.

[1]) Fusius bibl. cf. Lagrange l. c. XLV–XLVIII.

Canticum Debhorae

Argumenti summarium.

v. 1 Post historicam introductionem sequitur in-
v. 3 vitatio ad audiendum.
v. 4.2.5 Deinde poëta pingit Jahve venientem in ma-
Jahve et suus iestate et auxilium Hebraeis contra Chananaeos
populus. ferentem.
v. 6-8 Excipit imago poëtae prae se ferens miseriam
Hebraeorum tempore oppressionis a Chananaeis:
ante pugnam viae publicae ob periculum erant
oppressio derelictae, iter faciebant Hebraei per ineptos
tramites, agricultura cessavit, unde fames ur-
gebat, fortes in Israel deerant.
v. 9-11 Ex mediis rebus poëta ad bellum revertitur;
laudibus principes, qui populum ad pugnam
Triumphus duxerant, prosequitur, praecipue Jahve Salva-
torem extollit.
v. 12-18 Iterum poëta transit ad tempus oppressionis:
invitat Debhoram et Barac, ut animos bellato-
Fortes-ignavi rum cantico confirment et ad victoriam du-
cant; tribus belli participes laudat; qui se

abstinuerant, vituperat.

v. 19-22. Sequitur pugna iuxta aquas Megiddo et clades Chananaeorum: astra coeli contra hostes dimicaverunt, equites e proelio fugerunt, sed torrens Kišon impediendo eos contrivit.

Pugna et clades

v. 23-27 In oppositione ad maledictos incolas urbis Meroz auctor laudat mulierem Jahel, quae Sisaram occiderat.

Jahel.

v. 28-30 Denique poëta transfert lectorem in domum Sisarae, in qua impatiens mater sua causam dilati reditus inquirit. Eam una uxorum Sisarae consolatur reversionem esse prorogatam ob divisionem opulentae praedae.

Mater Sisarae.

v. 31 Conclusio carminis

Metrum cantici Debhorae.

Juxta Zapletal invitatio constat tribus distichis (seu versibus) quattuor accentuum (2+2, 2+2, 2+2). Corpus cantici prae se fert disticha sex accentuum (3+3). Duo versus efficiunt stropham. Nil obstat, quominus alio metro introductio, quam ipsum corpus carminis scriptum sit. Sunt similia exempla in V. T., v. g. Is. 1,2: invitatio est iuxta schema: 2+2+2, reliqua - 3+2.

P. Lagrange op. cit. p. 108 et Schlögl in R. B. 1903 p. 387 insuper in singulis partibus carminis symmetriam ex numero stichorum introducunt. Lagrange v.g. dividit carmen in 3 partes: I - 4+8+8+8, II - 4+8+8+8, III - 4+10+10+10. Schlögl vero alio modo magis complicato. Observandum est eos nimil artificialem computationem introducere.

NB. Indoles cantici, relatio ad prosaicam eiusdem facti Iud. 4 narrationem (crit. litt.); origo carminis, valor in historia et religione Hebraeorum etc. (crit. hist.) non a priori, sed textu cognito seu in fine commentarii tractanda sunt.



Commentarius

Jud. 5, 1: „Cecinit Debhora et Barac, filius Abhinoam, illa die dicendo."

Critica textualis. וַתָּשַׁר - „cecinit", III p. fem. seu grammatice tantum ad sequentem vocem „Debhora" refertur. Inde Riessler[1] sequentia: „Barac, filius Abhinoam", uti glossam eicit; at immerito: similis enim constructio in A. T. occurrit. Cfr. Num. 12, 1: וַתְּדַבֵּר מִרְיָם וְאַהֲרֹן - „Locutaque est Maria et Aaron." G^B - plur.; G^A - singul. V. - plur. seu non litteraliter.

Critica realis. Versus primus historicam introductionem cantici sive titulum prae se fert; etiam nexum inter c. 4 et c. 5 indicat.

Critica historica. Debhora proprie apis. Ex Jud. 4, 4 cognoscimus fuisse uxorem

---

1) catholicus, prof. Tubingensis in art. „Zum Debhoralied" Bibl. Zeitschrift 1909 p. 260.

minus Lam Lapidoth (לַפִּיד lampas hic pl. = faces). Niebuhr [1] affirmat urbem prope Tabor (cf. Jos. 19, 12), non vero personam fuisse. Sed est pura phantasia. In eodem Jud. 4, 4 versu c) prophetissam fuisse dicitur. Budde in suo commentario p. 33 animadvertit qualitatem propriam et specialem prophetarum – נָבִיא in Israel nonnisi tempore oppressionis Philistinorum stabilitam esse (Cf. 1 Sam. 9, 9; 10, 5), sive tantum nostri libri tempore. Contra Budde adnotamus institutionem esse antiquae originis. Cf. Ex. 15, 20: „Maria, soror Aaron erat prophetissa – Debhora fuit d) iudex, forte non sensu libri, ut liberatrix Hebraeorum, sed ~~sed~~ sensu nostro obvio: ius faciendi, ut ex Jud 4, 5 apparet. Titulus שֹׁפֵט potius Baraco convenit

Baraq proprie significat fulgur, erat filius Abhinoʻam (v. 12) ex tribu

---

[1] Versuch einer Reconstellation des Deboraliedes 1894 p. 11.

Nephtali (Jud. 4, 6). Fuit executor ordinationis Debhorae.

בַּיּוֹם הַהוּא cum articulo, auctor celebrem, istum diem victoriae indicare vult.

Critica litteraria. Versus 1 est redactoris libri seu recentior cantico. In eo carmen Debhorae et Barac adscribitur. Sed haec duplex attributio eum prise indicat primo circumstantiam nempe canticum a principalibus personis agentibus appellatum esse. Ex v. 12 manifeste patet Debhoram ab auctore alloqui: „surge, surge Debhora; surge, surge et loquere canticum." Ergo non Debhora est auctor. Parvi refert nomen auctoris, nam omnes agnoscunt antiquissimam originem cantici eiusque summum valorem in historia Hebraeorum.

5, 3. „Audite reges, auribus percipite principes, ego (in honorem) Jahve, ego canam, psallam (in honorem) Jahve Dei Israel.

Crit. text. 4 Mss hebraica, G^{A}[1] et alii versum 3um omittunt, quae nonnulli exegetae sequuntur. Sed immerito, nam est apta introductio carminis; similis occurrit aliis locis A.T. Gen. 4,23; Is. 1,2; 1,10; Num 23,18; Dt 32,1 et alii. Hunc versum M continet et G^{B}[2] habet.

Mss quaedam אָנֹכִי לַיהוָה omittunt, quae Riessler (op. cit. p. 261) quoque sequitur. Sed metrum hunc stichum requirit. Metrum v. 3^{ii}: 2+2 est aliud ac in toto cantico, quod 3+3 constat. Analogice cfr. Is. 1,2 imitatio est iuxta 2+2+2 reliqua 3+2.

Versus tantum sensum secundi distichi reddit.

Crit. real. Versus 3us invitationem regibus et principibus gentium audiendi continet.

Est introductio in ipsum carmen; sed diversum metrum et ipsum argumentum ostendunt v. 3um non suo loco esse positum.

---

1) versio graeca Alexandrina iuxta codicem Vaticanum ex s. IV p. Chr. n. Romae.
2) versio graeca Alexandrina iuxta codicem Alexandrinum ex s. V p. Chr. n., British museum

Crit. hist. Reges et principes (cf. Zapletal l. c. p. 18 et alios) allocuti non sunt Hebraeorum, nam tempore Debhorae reges sensu proprio Hebraeis deerant.

אֲזַמֵּר est proprie terminus psalmorum.

אֱלֹהֵי et יְהוָה sunt nomina Dei.

In A. T. sequentia occurrunt:

1) Antiquissimum est אֵל, aramaica-et assyro-babylonica - ilu, quod probabilius potentiam significat a v. אול - potens fuit sive אָלָה - fortis fuit. Buhl, Bern. Stade etymologiam nominis incertam esse dicunt. El significat non solum verum Deum, sed etiam falsos. Cf. Is. 44, 10.

אֱלֹהִים plures putant esse evolutionem nominis El (Buhl, Gesenius, Nöldeke, Nestle, B. Stade). Alii minore auctoritate gaudentes ab arabico alaha derivant, quod coluit, adoravit significat; igitur Elohim esse numen colendum, Deum in genere, Deum verum et deos falsos significat. Elohim est plurale numeri si sermo est de pluribus vel maiestatis

seu excellentiae – de uno. אֱלֹהֵי pl. st. constr.
Aliud nomen Dei est יְהוָה. Bühl derivat a v. הָיָה fuit et textu Ex. 3, 14 demonstrat. Ibi Deus ipse declaravit ad Moysen dicens: אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה ego sum, qui sum. Ergo Jahve significat ipsum esse seu cui esse essentialiter proprium est. Nomen Jahve est praecipuum atque proprium nomen Dei Israel. Est nomen veri Dei, nunquam diis falsis imponitur. Quibus expositis relatio inter Elohim et Jahve patet. El- Elohim probabilius indicant potentiam, ideoque ibi praesertim adhibentur, ubi opera potentiae v. g. creatio, conservatio mundi narratur (Gen. 1, 1 seq.)

Nomen Jahve Deum proponit, uti ens a se, quod aliis esse et vivere communicat; quare in illis locis occurrit, quibus Deus essentiam et proprietates suas manifestasse scribitur[1] (Gen. 2, 5 seq.)

Corpus Carminis.

Ad canticum audiendum regibus et principibus invitatis, tema carminis indicandum venit. Quod poëta naturae portentis incipit, Hebraeis Jahve auxiliante. Commemorat deinde miseram oppressionem

1) Fusius cf. Hetzenauer. Theologia biblica (372–384) ed. Herder.

cui victoria ad torrentem Kišon finem imponit, cantico iam celebranda.

5, 4. „Jahve, in tuo egressu de Seïr, in tuo processu de campo Edom, terra tremuit cum coelis et nubes effusae sunt aquis."

Crit. text. Vers. 4us continet duo disticha sex accentuum quodvis, schemate 3+3, quae primam stropham carminis efficiunt. Primum distichon est bene conservatum 3+3; alterum unum accentum superfluum habet. Probabiliter primum נָטָפוּ dittographia considerandum est ob sequens נָטְפוּ; argumentum confirmat: terra cum coelo tremuit, nubes aquā effusae sunt. Accedunt versiones: G L(ucianae recensionis)[1] continet ἐταράχθη (commoveo, turbo), G^A — ἐξεστάθη (loco demoveo). V. recte נָטָפוּ omittit.

Schlögl (RB 1903, 388) et Rössler (op. c. p. 261) sine ratione ultimum stichum v. 4i, uti glossam eiciunt; tunc alterum distichon esset mancum.

(1) Lucianus, sacerdos Antioch. † 311, G iuxta Aq., Symm., Theod. et praesertim textum hebraicum correxit

Crit. real. Adventus Jahve in auxilium Hebraeis non ad legislationem in monte Sinai pro ut Hummelauer tenet (l. c. p. 110), sed ad tempus belli cum Chananaeis sub Debhora et Baraq refertur (cf. recentis exegetas: Zapletal l. c. p. 18; Lagrange l. c. p. 81). Poeta depingit Jahve de Seir et Edom venientem, quae limites meridionales terrae Israel constituunt. Hoc directionem, qua Jahve Palaestinam ingreditur, et non necessario initium itineris indicat. Per consequens recte Zapletal (l. c. p. 19) reiicit coniecturam Budde (l. c. p. 41) de positione montis Sinai magis septentrionali.

Crit. hist. Jahve in itinere ad terram Chanaan processit per regionem Edom seu a monte sancto Sinai, non autem directione a Babylonia vel Syria, quod pro historia religionis Hebraeorum est magni valoris.

Crit. realis. In secundo disticho est fortis imago: terra tremuit... Sensus: Jahve in auxilium populi sui venit tempestatem causando, quae infausta erit Sisarae (v. 20),

sed non in tempestate, ut vult Budde (l. c. p. 41) et Nowack (l. c. 43), tempestas enim in Palaestina oriri solet maris ex parte meridionalis, i. d est occidentali - meridionali et non a deserto, i. e. ab oriente - meridie.

Crit. hist. Se'ir sunt montes a mari Mortuo ad sinum Aelaniticum pertingentes.

אֱדוֹם Edom (cf. Hagen, Lexicon bibl.) nomen regionis nacta est a cognomine Esau, quod sortitus est cum lassus ab agro rediux pulmentum a fratre Jacob coctum vidisset, exclamavit: Da mihi, quaeso, ut comedam de rufo הָאָדֹם hoc... Quam ob causam vocatum est nomen eius אֱדוֹם Edom (Gen. 25, 30). Termini terrae Edom in V. Test. non indicantur, sed ex obiter dictis aliquatenus definiri possunt. Nomina Edom et mons Seïr illam solam regionem montanam designasse videtur, quae valli el-Araba, inter mare Mortuum et sinum Aelaniticum extensae, ab occidente adiacet. Postmodum tota regio montana ab occidente et ab oriente eidem valli el-Araba adiacens appellata est terra Seïr, mons Seïr (Deuter. 2, 1 sq.; Ez. 25, 8; 35, 15). Regio ad orientem vallis

erat praestantior: in ea inveniuntur plures urbes, quae in A. T. terrae Edom adscribuntur. Celeberrima urbs erat Petra seu Sela cum plusquam 750 in petra excavatis monumentis sepulcralibus Nabathaeorum (arabum), Hebraeorum, Graecorum, Romanorum.[1]

Bosra, cf. Is. 63,1: Messias proponitur, velut triumphator veniens de Edom, „tinctis vestibus de Bosra."

Crit. litt. שְׂדֵה vox hebraica significat: ager, campus. Winckler, Altorientalische Forschungen I series, p. 142 (cf. Zapletal l. c. p. 19), habita ratione assyriacae vocis šadu - mons, מִשְּׂדֵה אֱדוֹם vertit „de montana Edom," nixus aliis A. T. textibus, v. g. Num. 23,14; Dt. 32,13; 2 Sam. 1,21. - Nowack (l. c. p. 44), hanc significationem confirmans, agnoscit obviam esse impossibilem relate ad montuosam regionem Edom vel saltem שְׂדֵה mitigat ad significationem „regio", ut in V. habemus.

Zapletal non reiicit, sed neque necessario inducendam agnoscit.

---

[1] Fusius de Petra cf. v. g. Baedeker, Palestine et Syrie, III éd. p. 170-178.

Versus 5us unum tantum distichon secundae strophae continet. Versu vero sexto novum obiectum incipit. Inde alterum distichon 2ae strophae periit vel transpositum est. Zapletal (l. c. p. 20) lacunam complendi proponit praeficiendo versum secundum, qui reapse cum v. quinto argumento cohaeret. Scriba v. 2do omisso forsitan spatio vacuo ante cantici initium postea eum posuit.

5, 2.5. „Cum ducerent principes in Israel,
cum populus Jahve sponte se afferret,
montes commoti sunt ante Jahve,
ante Jahve, Deum Israel."

Crit. text. 2. Secundus stichus 4 accentus habet. בָּרְכוּ est posterioris manus genuinam hebr. expressionem עַם יְהוָה „populus Jahve" rumpens (cf. v. 13) in parallelismo cum praecedenti בְּיִשְׂרָאֵל. Secundo versu transposito, huius positio manca evenit. Inde fortassis scriba posterior ad sensum eius complendum praedicatum בָּרְכוּ „benedicite" interposuit.

V.[ulgata] difficilia primi stichi omittit.

Crit. real.-litt. Multi exegetae, uti Cassel (cf. Zapletal l. c. p. 21), Nowack (l. c. p. 42-43), Lagrange l. c. p. 80-81) et alii verba פְּרֹעַ פְּרָעוֹת intelligunt de coma nutrienda a principibus ante bellum, nam erat usus se voto obstringendi comam barbamque non tondendi usque ad favorem optatum consecutum. Attamen ad contextum obvia significatio melius quadrat: „cum principes ducerent .... montes commoti sunt." Confirmat $\mathfrak{G}^{A}$: ἐν τῷ ἄρξασθαι ἀρχηγούς. Reapse summa difficultas erat duces inveniendi (vv. 7 et 13), et Debhorae meritis inventus est Baraq.

Crit. text. 5. Versus quintus metrice est nimis longus. נָזְלוּ „fluxerunt"; $\mathfrak{G}$ vertit ἐσαλεύθησαν „concussi sunt, contremuerunt". Est falsa punctuatio Masoretarum. Debet esse נָזֹלּוּ Niph. a זלל contremuerunt, commoti sunt. Similiter habent Targum et versio Syriaca. $\mathfrak{G}^{B}$ continet superfluum in primo sticho: a facie Domini Ἐλωεί. — זֶה סִינַי „hic Sinai" est glossa explicans, ut Symmachus habet: τουτέστι τὸ Σινά = hoc est Sinai. V. — et Sinai.

crit. hist.-litt. זֶה סִינַי Grimme, Clermont-Ganneau[1] זֶה interpretantur arabico „du" i. e. (Jahve) „de Sinai", quasi cognomen honoris Deo tributum esset, ut Dušara i. e. „Deus montis Šara" erat honoris titulus Deo Nabathaeorum adscriptus. Sed hoc in lingua haebraica de זֶה gratis asseritur.

crit. real. Concussio montium ante Jahve non est causata principum et populi alacritate, nam contradicent מִפְּנֵי יְהוָה „ante, coram Deo". Poëta simpliciter adnotat tunc temporis locum habuisse.

Animadversio de 1 et 2 stropha.

Secunda stropha est parallela Imae; ibi dicitur: cum Jahve et Seir veniret, coelum et terra motae sunt. Hic: cum populus Jahve consilium cepisset belli ineundi, commoti sunt montes.

A v. 6-8 describitur miseria Hebraeorum tempore oppressionis a Chananaeis (cf. Summarium arg. p. 9)

5, 6. „In diebus Šamgar, filii ʿAnath,
In Israel cessaverunt turmae proficiscentium[2];
Viatores ibant
Per vias deflexas (tortuosas)."

1) Recueil 3, 271 cf. op. Lagr. l. c. p. 82.
2) Karawany.

Crit. text. Loco בִּימֵי יָעֵל corrigendum est in בְּיִשְׂרָאֵל secundum G^A et consortes cod., habentes ιηλ pro Jaël. I^{um} אֳרָחוֹת-viae, ex contextu iunct. est אֹרְחוֹת turmae viatorum (karawany); 14 Mss omittunt וְ- et, in II° disticho ante הֹלְכֵי V. nihil praestat particulare.

Crit. hist. et text. שַׁמְגַּר בֶּן־עֲנָת Šamgar, filius Ånath, est nomen iudicis, qui de Philistiim sexcentos viros vomere percussit (Jud. 3,31). Si eum prima parte eiusdem periodi sive tempore oppressionis collocamus, tum convenit et circumstantiis, in quibus Hebraeis clypeus et hasta seu arma deficiebant (cf. Jud. 5.8). יָעֵל Jaël, mulier (vv. 24-26) ducem Chananaeorum pari modo armis insolitis, scilicet, clavo et malleo occidit. Quae cum ita sint, litteram prementes stropham iuxta textum actualem interpretari possemus.

Attamen calamitosa oppressio parum congruit rebus gestis harum celebrium personarum, scilicet, praeclaro facinori Šamgar contra Philistaeos; adhuc minus ad Jaël usquemodo ignotam quadrat. Igitur ex una parte celebria facta iudicum hebraeorum haberemus, ex altera, eadem periodo summam miseriam. Per consequens esset contradictio. Inde Šamgar non est iudex (ex 3,31), sed nomen oppressoris prae se fert (cf. Zapl. 22, sqq. 83).

Confusione oppressoris cum heroe Isr. ab interpretibus Hebraeis facta, scriba facile adiungere potuit: „in diebus Ja'el" ad periodum melius stabilie G^A et consortes cod. habent ιηλ cum signo abbr. tionis, i.e. pro Ἰσραηλ – Israel. Proinde textus legendus est loco בִּימֵי יָעֵל — בְּיִשְׂרָאֵל.

Auctor v. 6^e itineris pericula pingit. Recte primus Moore interpunctionem masoreticam primi ת ארח אֹרַח - viae correxit in ארחות turmae viatorum (karawany) plur. a sing. אֹרֵחַ viator: non
Crit. real. tantum agmina proficiscentium cessaverunt, sed etiam singuli viatores tramites ineptos quaerere coacti sunt, ne a Chananaeis spoliarentur.

יֵלְכוּ proprie - ibunt, sed post perfectum (hic - חָדְלוּ) potest quoque praeterito verti.

5, 7 „Quieverunt loca plana (vel fortassis agricolae) in Israel,
„Quieverunt .....
„Donec surgeret Debhora,
„Surgeret mater in Israel".

Loco פְּרָזוֹן leg. פְּרָזוֹת loca plana
vel פְּרָזִים agricolae.

Loco עַד שַׁקַּמְתִּי lege עַד אֲשֶׁר קַמְתְּ.

Loco II° שַׁקַּמְתִּי lege קַמְתְּ.

Versus 7us est male conservatus: obscuro sensu et metrice pro-ut nimis brevis.

Crit. text. פְּרָזוֹן est vox cum incerta significatione. G^A φράζων i.e. simpliciter hebraicam vocem transcripsit. G^B δυνατοί potentes; Vg. fortes. Schlögl (p. 392) פְּרָעוֹת - duces, ut v. 2°. Žaplital (p. 24) legendum proponit פְּרִי fructus ob similem confusionem י in ז versu sequenti; aramaicam finalem ין esse additamentum posterius. Inde vertit: „es fehlte an Früchten in Israel" (p. 48).

Attamen vox פְּרָזוֹן bis occurrit: v. 7 et 11; deinde G^A, prout vidimus, simpliciter, uti difficilem lectionem, transcribit: φράζων; proinde potius sensus radicis tenendus est, quem 4. Mss hebr. continent: פְּרָזוֹת. Hunc traditio Iudaeorum in Targum conservavit פְּרָזוֹת - „das offene Land im Gegensatz zu den ummauerten Städten" (Ges.-Buhl. Hebr. Wörterb. 14 ed.); etiam versio syriaca confirmat. Vel fortassis legendum est cum Budde פְּרָזִים agricolae. - Alter stichus primi distichi est mancus: unum solum accentum complectitur: חָדֵלּוּ; Cfr. coniecturam Žaplit. p. 24 ad complendum.

Secundum distichon incipit verbis: עַד שַׁקַּמְתִּי ; G – ἕως οὗ ἀναστῇ. Vg. – donec surgeret.

·שֶׁ עַד – „donec" est expressio neo-hebraica (Zapl. 25), per consequens non primitiva, cuius loco forsitan fuit עַד אֲשֶׁר .

קַמְתִּי – surgerem (proprie surrexi); cum G et Vg. debet esse III personae.

קָמַת – surgeret, cum antiqua finali at (cf. Zapl. 25).

In altero שַׁקַּמְתִּי, neohebraicum ·שַׁ omittendum est et finalis analogice primo est mutanda. Nisi versiones obstarent, possemus relinquere קַמְתִּי (donec) surgeres, uti II p. sing. fem.; finalis enim תִּי praeter I pers. sing. potest quoque exprimere II fem. (Ges.-Kautsch-Hebr. Gram.; ed. 27. p. 44h).

Riessler (p. 263) dependentiam a babylonica voce šuqamumu – aufstehen, inepte introducit.

Crit. real. Ante Debhoram propter oppressionem cessavit agricultura in Israel.

5,8. „Sacrificia divina cessaverunt,
„Defecit panis hordeaceus,
„Clypeus non apparuit nec lancea
„In quadraginta millibus in Israel."

Summar. crit. text. Coniectura: loco - יִבְחַר elegit, lege זִבְחֵי sacrificia; חֲדָשִׁים novos, corrige in חָדְלוּ cessaverunt.
Coniect.: אָז לָחֶם שְׁעָרִים tunc dimicatio portarum, corrig in אָזַל לֶחֶם שְׂעֹרִים deficit panis hordeaceus.

Crit. text. Primum distichon huius strophae est quoque male conservatum, quod vario modo interpretes legunt. In I^mo^ sticho antiqua traditio duplicem sensum includit: a) G^A^ et Targ. אֱלֹהִים „deos" obiectum considerat: „elegerunt (impersonaliter, germ. - man, fr. - gall. - on) novos deos." b) Vg. et Syriaca vers. obiectum „bella" introducunt et אֱלֹהִים „Deus" subiectum sumunt: „Nova bella, elegit Dominus."

Contextui convenit lectio Budde (p. 43), quam Zapletal (p. 26), Kittel (Biblia hebr., adnotatio p. 338) aliique approbant: חָדְלוּ זִבְחֵי אֱלֹהִים sacrificia divina cessaverunt. (זֶבַח sacrificium, hic - pl - est).

Secundum stichum G^AL^ (A - cod. Alex. L - recensio Luciana), Itala, Syriaca hexaplaris et alii cod. habent (ὡς) ἄρτον κρίθινον panem hordeaceum: igitur hebraice legebant: לֶחֶם שְׂעֹרִים panis hordeaceus. אָז tunc, est corruptum ex אָזַל abiit, defecit, scilicet scriba duplex ל per inadvertentiam semel

tantum posuit. (Budde, Kittel, Zapletal).

Crit. real. Sensus primi distichi est: tempore oppressionis sacrificia divina ob defectum agriculturae sunt interrupta, imo panis quoque defecit (Cf. alias lectiones huius textus: Zapletal 25-26)

Alterum distichon ad nos bene conservatum pervenit.

In tertio sticho huius strophae אִם coniunctio: si, ex contextu est sensu negativo: <u>non</u>. Totum II distichon indicat maximum defectum armorum: (cf. 1 Sam 13, 19 seq.) vel summum gradum oppressionis ita, ut Hebraei etiam magno numero exire contra hostes non ausi sint.

Quadraginta millia est numerus rotundus.

In nova sectione 9-11 poeta ex mediis rebus ad bellum revertitur. Triumphalem incessum principum pingit; laudibus prosequitur duces, praesertim Jahve (cf. scripta p. 9).

5, 9-10 a-b „ Cor meum est versus duces Israel,
„ Qui sponte se obtulerunt (vel: versus nobiles) in populo Jahve,
„ Versus equitantes asinis sub flavis,
„ Versus sedentes super tapeta [pulchra]."

Summar. crit. text. 2 בָּרְכוּ eiiciendum est, conf. analog. v. 2.

10b. Loco עַל־מִדִּין lege: עַל־מַדֵּי נָוֶה super tapeta pulchra.

Crit. text. 9us v. לִבִּי - „cor meum" est pure pure hebraica expressio, potius intellectus seu attentio capta est splendido gressu ducum: לְחוֹקְקֵי ad, versus duces. Initio secundi stichi vox הַמִּתְנַדְּבִים qui sponte se obtulerunt, uti attributum ad eosdem duces, qui in medio populi zelum manifestaverant, refertur, et non respicit fortes ipsius populi in oppositione ad duces; proinde cum G^A: οἱ δυνάσται, legere possumus hebr. נְדִיבִים - nobiles, hic - in st. constr. נְדִיבֵי a sing. נָדִיב - nobilis, princeps. (Coniect.: Lagr. 87, Zapl. 27-28).

10us v. Tertius stichus huius strophae est bene conservatus. Denique, de 4to יֹשְׁבֵי עַל־מִדִּין recte Zapletal animadvertit eum continere duplicem defectum 1° sine tertio accentu 2° cum aramaica finali ין. pl: n..: מִדִּין loco מַדִּים tapeta (pl. absol. a sing. מַד; pl. st. cstr. מַדֵּי. Attributum tapetorum neglegentia copistarum periit: ultimum] et sequentia וה ex continua scriptura suggerunt corruptam esse vocem נָוֶה pulcher, decorus.

IV stichus igitur sonat: „Versus sedentes super tapeta pulchra." Tapeta ponebantur sub sella vel loco eius.

Vg. מִדִּין vertit „in iudicio" a hebr. v. דִּין iudicare. Hisce stropha absolvitur.

Crit. real. Poeta duces exercitus laudat et apparatum eorum triumphalem describit: ipsi asinis subflavis super pulchra tapeta vehuntur. Tunc temporis asino nobiles utebantur, prout hodie equo. Illius coloris asinae in Palaestina sunt rarae et hodie aestimantur.

Budde (p. 43) nixus Dt. 6,7 alio modo v. 10um explicat: „Wo immer ihr seid, vergesset den schuldigen Dank nicht", scilicet, ubique debitas gratias agite. „Equitantes, sedentes et (ex sequenti sticho) iter facientes" est tantum enumeratio actionum ordinariarum. Attamen contra Budde pugnant circumstantiae speciales, ut asinae electae, tapeta opulenta. Certe, opinio Budde ad Dt. 6,7, i. e. praeceptum dilectionis Dei optime quadrat, sed nequaquam ad 10um versum cantici Debhorae, in quo simpliciter de pompa triumphali agitur.

——— , ———

5, 10c–11. „Viatores[1] annuntiate
11 „Altius, quam clamor (ordinate) se collocantium intra canales,[2]
„Ibi canent iustitiam Jahve,
„Praeclara facinora ducum in Israel."

Summar. crit. text. 10c. וְהֹלְכֵי omitt. וְ;
11. פִּרְזוֹנוֹ leg.: פְּרָזָי vel פְּרָזָו duces;
אָז יָרְדוּ לַשְּׁעָרִים עַם־יְהוָה - „Tunc descenderunt ad portas, populus Jahve" – glossa marginalis omittenda est.

Crit. text. et real. 10us c v. A voce וְהֹלְכֵי incipit nova idea et nova stropha. וְ ad praecedentem vocem retulimus, quod reapse 7 Mss hebr. secundum de Rossi omittunt. – שִׂיחוּ exegetae vario modo explicant. Zapletal (p. 29), sumpta prima consonanti שׂ ex sequenti, corrigit in שִׁמְעוּ קוֹל audite vocem. Nos textum intactum relinquimus cum G^B שִׂיחוּ: διηγεῖσθε – narrate et G^A: φθέγξασθε – loquimini, annuntiate.

11us v. In secundo sticho eiusdem strophae vox מִקּוֹל difficultatem creat. Lagrange (p. 88) vertit: „aux acclamations" – ad acclamationes, clamores;

1) Ambulantes in via.
2) Scilicet: prope fontem.

sed כִן praepositio vix verti potest - ad; forsitan in כְּקוֹל decurtatam comparationem habemus: „altius (clarius), quam clamor." כִּמְחַצְצִים succedentes, se collocantes; חֹצֵץ (Qal partic.) in Prov. 30, 27 G vertit: εὐτάκτως - ordinate; in Pi'el significare potest: ordinate se collocare, succedere.

Alterum distichon incipit a voce שָׁם.

In 4° sticho פִּרְזוֹנוֹ est vox obscura; contextus non permittit interpretari de agricultura vel agricolis. Substantivum eiusdem radicis פְּרָזָו ex Hab. 3, 14. reddunt Vg. - bellatorum, G - δυναστῶν. Reapse, ex contextu laudari possunt duces: Debhora et Baraq. Zapletal (p. 31) analogice cum Hab. 3, 14 proponit coniecturam loco פִּרְזוֹנוֹ legendi פְּרָזָיו vel פְּרָזַו.

Versu 11° ultima expressio: „Tunc descenderunt ad portas, populus Jahve" refertur ad marginalem lectionem variantem v. 13ⁱ, quae deinde in textum transiit; ideo est omittenda, quod metrum confirmat.

Vg. aliter incipit v. 11ᵘᵐ. Hac stropha viatores alloquuntur, ut laudem Deo et ducibus annuncient in locis stationum, ubi pecora adaquantur et multi homines congregantur.

Nova Sectio 12-18 v. v.

(Argum. cf. p. 9.).

5, 12 „Surge, surge, Debhora,
„Surge, surge loquere canticum![1]
„Surge, Baraq[2]
„Duc captivos[3] tuos, fili Abhinoam."

G^{A} G^{L} Syr. Hexapl. et aliae in III sticho post Baraq addunt: ἐνισχύων (ἐν ἰσχύϊ) - hebr.: חֲזַק fortis esto.

Crit. text. Primus stichus, bene conservatus, nihil continet particulare. Secundus aliter sonat in versionibus: $G^{A,L}$ Syr. Hexapl. et aliae habent: ἐξέγειρον μυριάδας (μετὰ) λαοῦ - excita miriades populi; הָעִירִי רִבְבוֹת עַם (cnf. Kittel, Biblia hebr. lect. var. ad vers. 12).

הָעִירִי Hiph. imperat. sing. fem. a v. עוּר. Initialis ה in textu est forsitan omissa per inadvertentiam copistae, praecedens enim vox exit in eandem consonantem; sequuntur quaedam consonantes similes in textu et correctione.

רִבְבוֹת pl. fem. a sing. רְבָבָה decem milia, myrias, multitudo.

Hoc modo legunt Lagrange, Zapletal aliique plures. Textus vero intactus significat: „Surge, surge, loquere canticum."

In III° sticho eaedem versiones adiungunt post בָּרָק ἐνισχύων (ἐν ἰσχύϊ) invalescens, corroborans. Exegetae addere

1) coniectura: Excita myriades populi.
2) coniectura: post Baraq addere: fortis esto.
3) coniectura: Duc captivos, qui te captivum abduxerant, fili Abhinoam.

proponunt חֲזַק fortis esto (cfr. Kittel. Lect. var.) Qal imperat. sing. m. a v. חָזַק firmavit, firmus fortis factus est.

In ultimo sticho huius strophae Syr. et Arabica vers. continent loco secundae vocis שֶׁבְיְךָ captivos tuos analogice cum Is. 14,2 — שֹׁבַיִךְ te captivum ducentes vel qui te captivum duxerunt (cf. Kittel ibidem). Inde apparet, Baraq prius captivitatem Chananaeorum passum esse et nunc occasionem proelii ineundi ad iniurias vindicandas habuisse.

Crit. real. In hac stropha poeta se transfert immediate ante ipsum proelium. Videt supra montem Tabor Debboram et Baraq manentes, e contra castra inimicorum posita; invitat Debboram excitandi Hebraeos ad hostes aggrediendos[2] et Baraq victoriam reportandi.[1]

5, 13-14a

13. „Tum descenderunt superstites ad principes,
„Populus Jahve descendit, prout heroes
14a. „Ex Ephraim profecti sunt in vallem
„Post te[3] Beniamin in populo tuo."

[1] [illegible]o, non Jud. c. 5, sed aliud carmen intelligendum est. — [2] Vel forsitan iuxta ab. vers. ad iniurias ulciscendas. — [3] Coniect.: frater tuus, loco: post te.

Summarium crit. text. 13. Loco יְרַד descende, leg. יָרַד descendit, (hic: collective pl.).

Sub עָם eiic.: ֑ (athnach) et ָ mut. in ַ ratione st. constr.

Loco לִי mihi leg. לוֹ sibi.

14a Loco שָׁרְשָׁם radix eorum, leg.: שָׂרוּ profecti sunt vel שָׂרִים principes.

בַּעֲמָלֵק in Amaleq, corrig. in בָּעֵמֶק in vallem;
אַחֲרֶיךָ post te, corrig. in אָחִיךָ pater tuus;
בַּעֲמָמֶיךָ corrig. in בְּעַמֶּךָ in populo tuo;

Crit. text. et realis. v. 13. In primo sticho strophae יְרַד est imperat. secundum interpunctionem masor.; cum G^{B} legimus יָרַד descendit (collective – descenderunt) Qal pf. 3 sing. masc. (Lagr. 91).

שָׂרִיד elapsus e magna clade, contra plures exegetas intactum relinquimus. Fortassis designat Hebraeos, congregatos sub Baraq, qui e strage Chananaeorum evaserant, vel uti comparatio, refertur ad reliquas tribus, quae domi ob metum Chananaeorum manserant.

Secundus stichus incipit voce עַם populus, quam inepte masoretae separaverunt

ope athnach a sequenti יְהוָה ; 20 Mss. hebr. sec de Rossi id probant. In II sticho G^A habet: κύριε ταπείνωσόν μοι τοὺς ἰσχυροτέρους μου – Domine, humilia (mihi) fortiores me. Cura inserendi orationem forsitan introduxit hanc imperativam pronuntiationem, quae in 13a quoque transire potuit. (Lagr. 92). Melior lectio conservata est in G^B: λαὸς Κυρίου κατέβη αὐτῷ – populus Jahve descendit (sibi – hebraismus, vel pro sua causa). —

בַּגִּבּוֹרִים בְּ est sensu comparativo: ut heroes fortes. Vg.: salvatae sunt reliquiae populi, Dominus in fortibus dimicavit praestat versionem textus masoretici omissis vocibus, sensum difficilem reddentibus: ▭ לְאַדִּירִים , לִי , אָז vel etiam mutatis, ut יֵרַד.

v. 14a. מִנִּי ex, poetica forma loco מִן.

שָׁרְשָׁם בַּעֲמָלֵק – radix eorum in Amaleq, est corrupta expressio, nam Amalecitae attributum honoris Ephraimitis nullo modo efficiebant. G et Theodotim loco בַּעֲמָלֵק veram lectionem conservaverunt ἐν κοιλάδι – in valle, hebr. בָּעֵמֶק i.e. tantum ל omiserunt.

Loco שָׁרְשָׁם Winkler legit שָׁרְדוּ profecti sunt, ex assyro-babyl. (cf. Zapl. 33); eum interpretes generaliter sequuntur. Tali pacto deficiens praedicatum in propositione habemus. Correctio conditionibus bene congruit: duces cum exercitu necesse erat, proficiscerentur, descenderent "de monte Tabor „in vallem" Qišon.

Zapletal non excludit coniecturam loco שָׁרָשָׁם legendi שָׂרִים principes.
In 4° sticho huius strophae primam vocem אַחֲרֶיךָ post te, $G^{A,L}$ reddiderunt: frater tuus: אָחִיךָ, quod ad contextum melius quadrat: Beniamin progreditur una cum Ephraim, non post eum, idea fraternitatis apparet, Ephraim enim et Beniamin de matre Rachel descendebant. בַּעֲמָמֶיךָ in tuis populis (aramaica forma numeri pl. cum suff. II p. sing.). Nowack (l. c. p. 50) putat alterum מ esse dittographiam, quod postea uti pl. vocis עָם populus, scriptum est. Cum Moore aliisque legimus num. sing. בְּעַמֶּךָ in tuo populo. Tribus Beniamin erat nimis parva, ut ipsa praesidium constitueret ac celebres principes offerret.
13-14 a. Tribus unitae descendunt de monte Tabor. Praeludium pugnae habemus. V. 13° a poeta distinguit principes et simplicem populum; 13° b: „populus Jahve" omnes complectitur. A v. 14° poeta enumerat tribus, quae pugnae intervenerant. 14° a Ephraim una cum fratre Beniamin habemus:

5, 14b-15ab. „De Machir descenderunt duces.
„Et de Zabulon ducentes (exercituum)
cum sceptro.
„Et principes Issachar cum Debhora
„In vallem miserunt pedites suos."

Summar. crit. text. 14b. סֹפֵר - scriba, omittere.
15a. וְשָׂרַי corrige in וְשָׂרֵי et principes.
בְּ ante Issachar, omittere.
וְיִשָּׂשכָר כֵּן בָּרָק - sicut Issachar, ita Baraq, glossa omittenda est.
Coniect.: שֻׁלַּח missus est, corrige in שָׁלְחוּ miserunt.
Item: בְּרַגְלָיו in vestigiis eius, post eum, corrige in רַגְלֵיהֶם pedites suos.

Crit. text. et real. 14b. Praesentia Machir diu exegetis difficultatem creabat, scilicet, Machir in Galaad habitabat (Num. 32, 39 sqq.) et Galaad pugnae haud intervenit (Jud. 5, 17). Attamen Machir fuit primogenitus Manasse et in textu adest pro patre. Cornelius a Lapide habet: „laudat enim hic Manasseoses." Comm. in Jud. 5, 14 p. 122, ed. Parisiis 1875.)

מֹשְׁכִים בְּשֵׁבֶט ducentes cum sceptro (subintelligitur: exercitum) est parall. מְחֹקְקִים - duces. Sceptrum est signum ducis. Gen. 49,10 (Zapl. 34). Ultima vox v. 14ⁱ סֹפֵר - scriba, est glossa, explicans difficilem praecedentem expressionem, quam metrum quoque eliminat uti quartum accentum in sticho.

15. וְשָׂרַי legimus cum G, Vg; Syr., Targ., וְשָׂרֵי - et principes, pl. constr. ratione sequentis praepositionis בְּ. Alterum וְיִשָּׂשכָר deficit in G et Vg. Tota expressio: וְיִשָּׂשכָר כֵּן בָּרָק - sicut Issachar, ita Baraq, consideratur glossa marginalis, explicans accuratius partes Issachar, ad contextum non quadrat et metrice stichus superfluus habetur. Zapletal (34-35) forsitan recte animadvertit, scribam hunc stichum addidisse, quod nomen ducis Baraq esset omissum et ideo tribum Issachar mulierem sequi scribae videretur. Glossa ultimum quoque stichum strophae perturbavit: שֻׁלַּח - missus est, i. e. passive exprimit textus masoreticus, dum G - active conservavit. Baraq additus numerum praedicati mutavit in singularem. Corrigimus in: שִׁלְּחוּ - miserunt.

In sequenti, i. e. ultima voce 4ᵉ stichi בְּרַגְלָיו in vestigiis eius, post eum, G^A omittit בְּ et vertit: πεζοὺς αὐτοῦ - pedites eius, hebraice esset רַגְלֵיהֶם pedites suos. Pedites Hebraeorum opponuntur curribus militaribus hostium. Hisce stropha absolvitur. Sequitur nova idea. Igitur 13-15 b cum laudibus enumerantur tribus, quae bellum contra Chananaeos susceperunt, scilicet, Ephraim, Beniamin, Manasses, Zabulon et Issachar.

5, 15c - 17.

Poeta otium aliarum tribuum tempore belli reprehendit. Inde quoque patet praecedentia non triumphum post victoriam reportatam, sed iter exercitus ante pugnam respicere.

5, 15c - 16a. „In rivis Ruben
„Anxietates cordis sunt magnae.
„Quare mansisti inter crates (stabula),
„Ut audires sibilos gregum."

Summar. crit. text. חִקְקֵי - decreta, corrige in חִקְרֵי - investigationes, anxietates.

Crit. text. et real. 15c. In primo sticho vox פְּלַגּוֹת est dubia; in Job. 20,17 significat „rivos"; atqui terra Ruben trans Jordanem erat montuosa et arida; proinde alii, sequentes G^B: εἰς τὰς μερίδας, intelligunt de agro, portione (Zapl. 35).

Attamen in ditione Ruben erant pauci rivi, circa quos seminomades Rubenitae habitare poterant. Hoc modo textus hebraicus intactus remanet (Lagr.).

In II° sticho חִקְקֵי decreta, 5 Mss. hebr. secundum de Rossi habent חִקְרֵי investigationes, anxietates, G^B confirmat, etiam eadem vox in v. 16°b. In tribu Ruben erant magnae cordis discussiones, anxietates bello interveniendi. V: diviso contra se Ruben.

16a. In tertio sticho habemus incertam etymologia vocem הַמִּשְׁפְּתַיִם, quam versiones vario modo reddunt: Praeter Jud. 5,16 hoc nomen occurrit Gen. 49,14 et (sive מ) Ps. 68,14.

Ex illis textibus idea quietis ex ignavia derivatur (Lagr. 93). Forsitan stabula animalium quiescentium vel crates est ironica imago otiosorum Rubenitarum. V: inter duos

terminos.

In quarto sticho שְׁרִקוֹת עֲדָרִים sibili gregum, i.e. soni a pastoribus tibiis eliciti ad greges invitandos. Hisce praecedens imago evolvitur. Igitur poeta hac stropha irridet Rubenitas, qui de expeditione valde investigaverunt, attamen domi otiosi remanserunt.

5, 16b-17a.

16b „In rivis Ruben
Anxietates cordis sunt magnae
17a Gil'ad trans Jordanem quievit
Et Dan commoratus est ad naves."

Summar. crit. text. 16b: לִפְלַגּוֹת corrig. in בִּפְלַגּוֹת prout v. 15.

17a. לָמָּה quare, dele

Crit. text. exeg. 16b. 15 Mss hebr: secundum de Rossi continent בִּפְלַגּוֹת, prout v. 15o loco לִפְלַגּוֹת.

In primis duobus stichis poeta insistens reprehensionem Rubenitis repetit, quo manifestat sollicitudinem suam de illa tribu, quae indigenis commixta

paulatim moriebatur (Deut. 33, 6.). Systema metricum ostendit falsam esse opinionem exegetarum (v. g. Riessler p. 269 et aliorum), qui hunc stichum esse repetitionem 15$^{\text{ae}}_{\text{c}}$ asserunt et eum expungunt.

17a. Tertius stichus strophae bene conservatus ad nos pervenit. In 4° vocem לָמָה quare, constituentem superfluum quartum accentum, cum 2 Mss hebr. secundum De Rossi, cum versionibus V., Arabica et Targum omittimus.

Auctor ordine loci caeteras tribus desides in carmen introducit. In 17^{a}ā versu (III stichus) proximos vicinos Rubenitarum vituperat: Gil'ad enim tribum Gad et orientalem dimidiam partem Manasse complectebatur.

Deinceps in ultimo sticho strophae transit ad horum vicinos septentrionales Danitas. Tempore Debhorae et Baraq tribus Dan non amplius prope Jaffa (Joppe) habitabat (Jos. 19, 40 sq.), sed in septentrionali parte domicilium habuit in urbe Lais (Jud. c 18), quae longe a mari distabat, ideo Danitis naves deficiebant;

proinde exegetae (Lagr. 96, Zapl. 36, Nowack 51) expressionem: „Dan commoratus est ad naves" de servitio, quod Danitae Phoeniciis (i. e. Sidoniis) praestabant, interpretantur. Hisce iuncti Hebraeis in auxilium non venerunt, securae mercaturae et navigationis vacantes.

—·—

5, 17b–18 17b. „Ašer mansit in littore maris
„Et in portibus suis quievit,
18. „Zabulon, populus contempsit vitam suam
„Et Nephtali super altitudines campi".

—·—

(Summar. crit. text.) Coniect.: in III sticho — לָמוּת ad moriendum, morti, constituens IIdum accentum, uti glossam explicativam, dele.

(Crit. realis.) 17b. In primo disticho, recte conservato, poeta reprehendit vicinam Danitis tribum Ašer, quae loci situ erat opportuna ad auxilium ceteris conferendum, nam regionem loco pugnae propinquam possidebat; attamen Ašer in suis portibus lucrum facere maluit, quam cum ceteris contra hostes dimicare.

18. Tribubus, quae opem Deborae cum Baraqo non tulerunt, vituperatis, actor pervenit ad locum proelii et iterum laudibus prosequitur Zabulon et Nephtali, qui plurimum ad victoriam reportandam contulerunt.

In 4° sticho: עַל מְרוֹמֵי שָׂדֶה super altitudines campi non significat montes, sed ultimos tumulos ante planitiem, quo Zabulon, Nephtali aliique aciem instruxerant et vitam suam contempserunt. Vg. vero vertit עַל מְרוֹמֵי שָׂדֶה in regione Merome i.e. circa lacum huius nominis, per quem flumen Jordanis transit. Tali pacto haud opportune tribum Nephtali transfert e loco prělii et obscuras reddit partes eius, quasi pugnae non interesset.
Lectio Vg. est etiam falsa philologice (crit. text), quod forma status constructi מְרוֹמֵי ostendit; nomen proprium esset in st. absoluto.
Item conjectura Zapletal (37–38) de 4° sticho arbitraria esse videtur.

Pugnae descriptio (5, 19–22).

Tribubus, quae proelio interfuerant aut ab eo abstinuerunt, recensitis, poeta ipsam pugnam describit. (Cfr. p. 10).

5, 19. « Venerunt reges, pugnaverunt,
« Tum pugnaverunt reges Kenaʿan,
« Ad Taʿanakh super aquas Megiddo;
« Praedam argenti non abstulerunt. »

Versus 19us, totam stropham efficiens, bene consarvatus ad nos pervenit.

Crit. real. Narratio incipit absque copula cum praecedentibus: reges venerunt; pugnaverunt, veluti impetum hostium depingens.

In I° sticho: „reges" et in II°: „reges Kena'an" poeta adhibet in plurali, secundum rectam animadversionem Nowack (52) et Zapl. (38), nam in litteris Amarnensibus sunt plures reguli Chanaan; solus Sisera nominatur forsitan uti princeps inter eos vel dux belli.

Tertius stichus locum proelii indicat: „ad Ta'anakh super aquas Megiddo". Ta'anakh et Megiddo erant arces cananaeae. Etsi Iosue reges earum vicit (Ios. 12,21), in possessione tamen Chananaeorum remanserunt. Urbs Ta'anakh, hodie tell-Taanak, occidentali dimidiae parti tribus Manasse designata est (Ios. 21,25) et urbs levitica evenit. Eodem loco postea (610 a. ante Chr.) pius rex Iudae Iosias in pugna cum pharaone Nechao II occisus est. 1901-1902 prof. Sellin, a societate Vindobonensi delegatus, exploravit tell-Taanak ac notabilia vestigia urbis chananaeae,

aegyptiacae et israeliticae invenit.

Megiddo, hodie tell el Mutesellim, versus septentrionem a Taanak, sorte obtigit quoque tribui Manasse; erat celebris arx non solum periodo Chananaeorum, sed etiam posteriori tempore sub dominio Romanorum. Chananaei illo loco in depressa planitie „super aquas Megiddo" i. e. ad ripam Qišon prope Megiddo, difficile curribus bellicis uti poterant.

In quarto sticho parallelismus exigit nomen loci, at textus aliud continet: „praedam argenti non abstulerunt", quam poeta explicite meminit, nam eius gratia antiqui pugnabant. Exemplum praebent Gedeon de Madianitis, David de Amalecitis (Zapl. 38). Argentum in genere res praetiosas significat.

5,20–21. 20. „Stellae pugnaverunt de coelis,
„De orbitis suis pugnaverunt cum Sisera.
21 „Torrens Qišon abripuit eos, torrens Qedu-
„mim [1], torrens Qišon. Conculca anima mea
„robustos."

Textus 21 bc est valde corruptus.

Crit. text. et real. 20v. Masoretae in primo sticho ope athnach a

[1] Qades, Zagr.

praedicato purpuram separaverunt subiectum, quod est הַכּוֹכָבִים stellae. Absque mutatione cursus sui (2ᵘˢ stichus) stellae purgaverunt contra Chananaeos. Cassel, quem sequitur Hummelauer (cf. Hummelauer l. c. p. 125) modum illius pugnae indicat: „Baraq noctu adortus est castra inimicorum, quod fecit Gedeon (Iud. 7,10) et Saul (1 Sam. 11,11) aliique; stellae suo lumine Hebraeos adiuverunt, dum incerta earundem lux ad perturbationem Chananaeorum somno oppressorum non parum addidit." Sed probabilius sequenda est communis opinio exegetarum, qui hunc figuram de vehementi tempestate interpretantur (ex antiquis Procopius de Gaza et fere omnes recentiores). Cf. analogice Iud. 5,4.

21 v. Primus stichus probabiliter est bene conservatus: torrens Qišon abripuit seu desolvit eos, i. e. plures inimici in torrente perierunt. Tali modo praecedentem versum de tempestate confirmat, torrens enim Qišon alias fere siccus, sed lutosum solum eius circa Meggido et Taʿanakh post magnam tempestatem vel periodo pluviarum evenit curribus periculosum, v. g. post praelium 16 aprilis 1799a. a Gallis ibidem commisum Qišon plurima Turcarum cadavera abripuit. (Hummelauer p. 126).

Secundus et tertius stichus (v. 21) sunt valde corrupti. Inutile putamus textum ad systema metricum corrigendi et hypotheses, rationibus non nixas, introducendi; sensum tantum eruimus. Torrens Qedumim, quod in A. T. est ἅπαξ λεγόμενον, vario modo explicant. V(ulgata) considerat uti nomen proprium Cadumim; G^B: ἀρχαίων – antiquorum (קדם in Pi. – anteriorem se exhibuit); G^A legebat: καδησειμ de hebr. voce: קדשים sanctorum. Lagrang (p. 98) secundum G^A corrigit in קדש Qades, positum intra Megiddo et Taʿanak, hodiernum tell Abu-Qedeis. Torrens Qišon ibi potuit hoc nomen accipere, prout analogice supra „aqua e Megiddo", sed postea disparere, ne confusio cum alio Qades Nephtali oriretur. (Cf. alias coniecturas Zapl. 40-42).

21c. „Conculca (iussiv.) anima mea robustos". Certe, textus est corruptus; prout hodie legimus, haec verba essent poëtae se ipsum invitantis ad conculcandos prostratos hostes.

5, 22 „Tum percusserunt (terram) ungulae equorum.
„A cursu incitatissimo equorum eius (i. e. Sisarae)".

Crit. text. et real. סוּס corrigimus in סוּסִים secundum $G^{A,L}$, Syr.$^{Hexapl.}$, V.

Zapletal (p. 39) v. 22um transponit cum v. 21, nixus sensui, scilicet si Chananaei cum curribus in torrente Qišon periissent, non amplius eorum equi terram percutere possunt. Sed probabiliter non omnes ibi perierunt; per consequens ordo versuum ad sensum quadrat; nec versiones transpositionem confirmant. 22us versus, dimidiam stropham efficiens, praecipitem fugam hostium describit; imo 22us b hanc fugam ope harmoniae imitativae (Lagr. 99) exprimit.

אַבִּירָיו Lagr. (p. 99) et Zapl. (p. 39), prae oculis cursus Chananaeorum habentes, de equis tantum interpretantur.

——— „ ———

Meroz et Jaël.

5, 23 – 27

(Confr. p. 10)

5, 23. „(Maledicendo) maledicite Meroz"
„Maledicendo maledicite incolis eius,
„Quia non venerunt in auxilium Jahve,
„In adiutorium Jahve, sicut fortes."

Crit. test. et real. Narrativa expressio אָמַר מַלְאַךְ יְהוָה dixit angelus Jahve, probabiliter est explicans glossa. Parallelismus vero cum secundo sticho exigit primum legendi: אֹורוּ אָרוֹר מֵרוֹז maledicendo maledicite (inclementer maledicite) Meroz.

מֵרוֹז Meroz fuit urbs vel pagus, quia de habitatoribus eius agitur (II stich). Inter v.v. 23 et 24 habetur oppositio; cum ille Meroz maledicat, hic Jaël benedicat, unde inferre licet, incolas Meroz non solum potuisse Israelitis opem ferre, sed aliquatenus debuisse, quod per consequens Hebraei essent vel Hebraeis foederati. Ipsi auxilium praestare negaverunt, Jahel, licet Chananaeis foedere iuncta, sponte prae-

1.) dixit angelus Jahve.

stitit (Hummel. p. 127).

לְעֶזְרַת יְהוָה in auxilium Jahve, sed Deus auxilio non indiget, ideo intelligendum est de causa Jahve tuenda. In tertio sticho dicitur: non venerunt in auxilium, inde supponimus eos aliquo actu abstinuisse, qui ab Hebraeis victoribus postularetur, v.g. se persequentibus non iunxisse vel annonam denegavisse.

5, 24. „Benedicta sit prae mulieribus Ja'el,
„Uxor Cheber Cinaei,
„Prae mulieribus nomadum sit benedicta."
(IV stichus deficit).

24us v. tres stichos strophae complectitur, quartus probabiliter periit. In primo sticho מִנָּשִׁים, מִן est praefixum gradus comparativi cum significatione: supra, prae (aliis) mulieribus. In secundo sticho: uxor Cheber Cinaei, cf. criticam hist. in fine comment. In tertio sticho: בָּאֹהֶל in tentorio. Inde Hummelauer (p. 128) consentit opinioni de benedictione in tabernaculo, scilicet, Israelitae iubentur ei omnia fausta pro tabernaculo adprecari i.e. quae domum vel familiam respiciunt.

Attamen aliud probabilius videtur, nimirum, po-

eta vult exprimere, Ja'el laudari in comparatione mulierum in tentoriis degentium seu nomadum.

Haec stropha, laudibus mulierem Ja'el prosequens, opponitur praecedenti i.e. maledictioni Meroz.

5, 25-26 a

25 „Aquam petiit (lac) dedit
„In phiala nobilium (obtulit) lac coagulatum
26 a „Manum suam, ad paxillum eam extendit
„Et dexteram suam ad malleum fabrorum."

Summar. rit. text.

25. חָלָב et הִקְרִיבָה probabiliter metrum impediunt.
26 a תִּשְׁלַחְנָה corrige in תִּשְׁלָחֶנָּה extendit eam.

Crit. tex. et real.

Praecedens corruptus stichus probabiliter proximum sequentem perturbavit. חָלָב lac, efficiens quartum accentum in primo sticho, secundum Zapletal (43) est superfluum. Secundus stichus quoque quatuor accentus complectitur. Zapl. הִקְרִיבָה obtulit, in deficientem quartum praecedentis strophae transposuit. Reapse in disticho est tantum plenior evolutio ideae, forsitan a scriba facta; per eiectionem harum duarum vocum sensus non mutatur.

סֵפֶל tantum h. l. et Jud. 6,38 in historia Gedeonis occurrens, vas patens et satis amplum significat.

סֵפֶל אַדִּירִים intelligitur de phiala, nobilibus destinata; hospitibus enim apud Hebraeos electae et copiosae portiones cedebant (cf. 1 Sam. 9,24). Illa hospitalitas in Oriente usquemodo conservata est, attamen nil impedit, quominus Beduini hospitem suum, deinde etiam haud procul e vico egressum spolient. Ideo non est necessarium concludendi cum Hummelauer (p. 128): „Ja'el potum profert in vase honestiore, fortasse, ut animi liberalis et obsequiosi professione Sisaram securum reddat et decipiat."

חֶמְאָה synonimus חָלָב est lac leviter coagulatum (zsiadlé), quo et hodie Beduini libenter vires exhaustas praecipue verno tempore reficiunt.

Igitur loco aquae, quam Sisara rogavit, Ja'el illi lac obtulit in poculo, prout hospitibus nobilibus dare solebant (I distichon).

Crit. litter. 25a[us] perfecte conformis est cum Jud. 4,19; 25[us]b aliquatenus factum exornat, sed non sequitur aliam traditionem, dum loco utris pro lacte phialam (poculum) nobilium introducit; poesis enim suo modo factum illustrat, dum

prosa accurate realitatem premit. –

Crit. text. et real. 26a. Textus masoreticus continet יָדָהּ manum suam, dum G. et V. „sinistram" inserunt ad rem adhuc clariorem reddendam. יָתֵד designat patillum, quem ad partes tentorii opertorium retinendas in terram adigere solent. תִּשְׁלַחְנָה Qal impf. 3 vel 2 pl. fem. ad contextum minime quadrat. Ad evitandum num. pl. interpunctio solum masoretica est mutanda (cf. Analysim p. 19), quo in casu habebimus Qal impf. 3 sing. fem. cum suff. 3 sing. fem., נ energico instructum. (Ges.-Kautsch, 27 ed. § 47 k); suffixum fem. refertur ad יָד, „extendit eam".

In quarto sticho vox הַלְמוּת ἅπαξ λεγόμενον, probabiliter malleum significat, prout G et V. intellexerunt. Hebraice est in sing. contra V.

Sequens עֲמֵלִים fabrorum, propius malleum definit, malleum mole et pondere insignem.

Igitur in praecedente disticho (v. 25) hospitalitas expressa est, in hoc vero (26a) instrumenta et proxima praeparatio ad Sisaram occidendum.

5,26b-27 26b. „Et percussit, confregit caput eius
„Et confregit et perforavit tempus eius.
27. „Inter pedes eius se incurvavit, cecidit,
„Ubi se incurvavit, ibi cecidit occisus."

Crit. text. et real. 26b. In primo sticho nomen סִסְרָא uti quartum accentum, Moore, Zapl. aliique omittunt. מָחַק est iterum ἅπαξ λεγόμενον, cuius sensum tantum approximative definire possumus. In litteratura talmudica plecram destructionem significat (Moore, Lagrange). V. litter. vertit.

27. Omnes recentissimi exegetae in 27 v. dittografiam deprehendunt. Reapse primus stichus in 18 Mss hebr. sec. de Rossi deficit, ideo probabiliter uti dittographia omittendus est: בֵּין רַגְלֶיהָ
כָּרַע נָפַל שָׁכָב - Ad pedes eius se incurvavit, cecidit, mortuus est (cubuit).

V. tantum sensum reddit.

Itaque oppressor Hebraeorum a Iaël occiditur, fama invicti ducis a femina deflorata est, antiquitus vero summum opprobrium erat a muliere occidi, quod v. g. ex Abimelechi exemplo patet. Cfr. Iud. 9,54.

Aula Sisarae

5,28-30.

(cf. scr. p. 10)

5,28. „Per fenestram respiciebat et attendebat
„Mater Sisarae per clathros.
„Quare moratur currus eius venire,
„Quare tardaverunt gressus curruum eius"

Crit. text. et real. In primo sticho legimus וַתְּיַבֵּב Pi. impf. 3 s. fem. a radice aramaica יבב clamavit; praesentia aramaismi indicat probabiliter glossam vel primitivam vocem corruptam, quam G^B omittit; Syr. Hexapl. G^{AL} vertit: κατεμάνθανε - intuebatur, explorabat; Targum - eodem sensu.

Igitur in originali textu fuit probabiliter: וַתִּתְבּוֹנֵן (cf. Kittel. Bibl. hebr.) se attente praebuit, attendit (Hithp. 3 impf. sing. fem. a v. בִּין vel בִּין animadvertere, intelligere) vel וַתַּבֵּט oculos convertit, adspexit (Hiph. impf. 3 sing. fem. apoc. a v. נָבַט in Pi. et Hiph. usit.).

In secundo sticho obscuram vocem הָאֶשְׁנָב G^{AL} verterunt: διὰ τῆς δικτυωτῆς - per clathratam (vel reticulatam) scilicet fenestram. Hanc significationem tamquam plene convenientem laudat Lagr. (102).

Reapse in Oriente fenestrae in aedibus feminarum cancellis claudi solent. Tertius et quartus stichi strophae, in quibus מַדּוּעַ sine accentu legimus, sunt bene conservati ac clari, nisi excipiamus בֹּשֵׁשׁ, quod in Qal significat: erubescere, in Pi. vero: morando pudorem excitare, morari. Vg. tantum sensum reddidit.

Igitur Sisarae maturus et gloriosus reditus e proelio in aula sua frustra exspectatur. Mater, malorum filii augur, experientia de inconstantia rerum humanarum edocta, anxietate premitur et causam dilati reditus inquirit.

5,29-30a. 29. „Sapientissima inter nobiles mulieres
eius respondit ei;
„Immo ipsa verba sua sibi retulit.
30a. „Profecto invenerunt . . . . .
„ . . . . . . diviserunt praedam."

In primo sticho חַכְמוֹת sapientes, cum versionibus legimus numerum singularem חַכְמַת (Kittel. Bibl. hebr.) et cum pluribus exegetis gradu superlativo vertimus: sapientissima (Ges.-Kautsch, ed. 27, § 133 h).

שָׂרוֹתֶיהָ nobiles feminae (les princesses) eius, i.e. matris sunt uxores principum, non autem Sisarae,

prout Vg. et Hummelauer (p. 130) volunt, nam suffixum הָ est generis feminini; per consequens ad matrem refertur. Illae non sensu moderno les dames d'honneur, Hofdamen in aulis regiis considerandae sunt, sed simpliciter adsunt coram matre Sisarae consolandi gratia.

In secundo sticho mater Sisarae sibi ipsi respondet, non expectans, ut ab illa muliere הַחֲכָמָה corrigatur. Tertius et quartus stichi (30a) tantum duorum singuli accentuum ad nos pervenerunt.

In tertio sticho הֲלֹא profecto, i.e. sensu affirmativo vertunt Lagr., Zapletal. Vlg. omnino libere vertit. Mater Sisarae cum circumstantibus nobilibus feminis putant reditum esse prorogatum ob praedam inventam eamque dividendam.

5,30 bc „Una, duae feminae singulis viris,
„Praeda - vestis diversorum colorum Sisarae.
„Praeda - vestis colorata variegata,
„Duae vestes coloratae variegatae collo
meo - praeda."

Primus stichus hebraice significat: uterus, duo uteri in caput viri. Per uterum intelligi feminam eum Sanctus

Hieronymus (Vg.) perspexit, qui illud poetice interpretatus est. Vertens „pulcherrima feminarum," intellexit: uterus uterorum, i. e. femina feminarum, analogice cum „cantica canticorum". attamen huic expositioni obstat numerus dualis loco pluralis. (Hummel. p. 131). Felicius reddunt alii, tam antiqui, quam recentes exegetae: „una femina, duae feminae."

„In caput viri" Vg. ad Sisaram retulit: „dicitur ei," sed articulus deest, quamobrem vertimus: „singulis viris," gallice: „par tête", scilicet, una, duae feminae singulis viris in praedam traduntur. Igitur V. omnino libere hunc stichum reddit.

In secundo sticho vox צֶבַע habet significationem tingendi; numerus pluralis eiusdem צְבָעִים apte designat vestem tinctam, vestem diversorum colorum. Unde explicationis gratia in tertio sticho additur numerus singularis: רִקְמָה vestis variegata (pstra odzież). Hanc expressionem auctor in quarto sticho duali numero scripturus, solum alterum membrum termi-

natione dualis numeri distinxit, altero singulari numero descripto: צֶבַע רִקְמָתַיִם „duae vestes tinctae variegatae", quod indoli linguae hebraicae respondet (Hummel. p. 131).

לְצַוְּארֵי ad colla; Budde, Zapl., Hummel. aliosque sequentes, potius legimus לְצַוָּארִי ad collum meum, collo meo. Hanc lectionem parallelismus commendat: a) singulis viris, b) Sisarae, c) meo collo; igitur auctor matrem loquentem praesentat.

V. vertit libere.

Haec stropha male conservata ad nos pervenit, quod numerus accentuum in textu hebraico, diversus modus, quo illum versiones reddunt et exegetae interpretantur, ostendit. In singularibus sensus haud facile eruitur; in genere vero mater Sisarae, haec verba loquens, primum praedae singulis viris tribuendae meminit (I stich.), deinde soli Sisarae (II et III stich.), tandem etiam praedam, quam ipsa pro se expectat, inserit (IV stich.)

5, 31a „Sic pereant omnes inimici tui, Jahve!
„Et diligentes te sunt, sicut ortus solis in splendore suo."

וְאֹהֲבָיו „et diligentes eum" Syr., V., plures interpretes legunt וְאֹהֲבֶיךָ „et diligentes te", sensum non mutans.

Hoc distichon extra systema metricum carminis invenitur et eius conclusionem constituit; argumento suo inexpectatum responsum desideriis feminarum in aula Sisarae, scilicet, gravissimam spei frustrationem comprehendit. Quidam exegetae, ut Budde (p. 49), Zapletal (p. 47), Riessler (p. 275) hoc distichon considerant tanquam additamentum posterius in stilo psalmorum, attamen conclusionis imago omnino quadrat ad totius cantici sublime argumentum. Lagrange (p. 104) animadvertit, non esse probatum de amore Jahve tempore Debhorae loqui haud potuisse.

5,31b. „Quievitque terra quadraginta annis" Prosaicam chronologicam conclusionem actorum Debhorae et Baraq complectitur.

Critica textuali et reali completa, praevium laborem absolvimus. Ope versionum, poësis hebraicae etc. textum, quantum possibile, primitivum restituere conati sumus; maiorem tamen partem correctionum tantum coniecturas scientificas consideramus sine animo quid e textu canonico eliminandi. Animadvertimus Vulgatam libere plures versus hebraici textus reddidisse vel etiam sensum originalem mutavisse, v.g. v.v. 6, 14, 18 etc.

Variae glossae in carmine indicant valde antiquam originem cantici et singulare studium, quo illud legebant.

Critica litteraria.

Indoles et origo cantici. Indoles cantici Debhorae a Budde bene definitur (p. 39): carmen non est poëma epicum nec simpliciter gratiarum actio Deo, quae duo genera longe post eventum originem ducere possunt. Auctor cantici Debhorae prae oculis habuit exprimendi laudem et reprehensionem, benedictionem et maledictionem personis ac tribubus, quae proelio intervenerant vel ab eo

abstinuerant, singulis secundum merita. Per consequens brevi post victoriam sub impressione recentis facti est compositum et complectitur singulare genus litterarium, orientalibus proprium: ante quosdam annos tribus Beduinorum Sukhur ex urbe Madaba ab alia nomine Azezat est pulsa; ubi primum pugna absoluta est, statim mulieres carmina in honorem fortium et opprobrium perfidorum ac traditorum composuerunt (Lagrange p.105).

Rationes, quibus critici independentes pugnant contra antiquissimam bello coaevam carminis originem, claudicant.

Mauritius Vernes[1] affirmat canticum esse productionem recentissam: „il faut, en vérité, ne l'avoir jamais lu dans l'original pour y voir le plus ancien monument de la littérature hébraïque, tandis qu'il est visiblement l'une de ses productions le plus récentes. Tout y fait voir les marques d'une époque de décadence littéraire, la langue où les formes araméennes sont indiscutables, la forme prétensieuse, affectée, tour à tour plate et volontairement obscure, une série d'expressions toutes modernes et propres aux livres récents de la Bible, enfin de grossiers anachronismes."

1) De la place faite aux legendes locales par les livres historiques de la Bible. Paris, 1897. p.12. cf. Lagr. p.105

Vernes methodice perperam procedit, dum ex versione de origine carminis indicat. Multi in originali canticum legunt et plane ad contrarias conclusiones pervenerunt, nihil reale in obiectione Vernes invenientes. Praeter Moore et castris criticorum independentium Budde (p. 39) condemnavit obiectiones Vernes: „Die Gründe mit denen Vernes . . . späten Ursprung nachweisen wollte, entscheiden nicht."

Reapse, successu temporis carmen subiit posteriorem scribarum et copistarum influxum; ideo textus quorundam versuum, prout vidimus, male conservatus ad nos pervenit; attamen origo indicanda est secundum totum corpus, non vero ex parvis singularibus expressionibus et verbis.

Simili modo procedit Niebuhr[1], qui tenet canticum ortum esse altero dimidio s. VIIIⁱ ante Chr. Opinionem suam probat aramaismis: v. 7: abbreviata forma שׁ loco אֲשֶׁר; v. 11: יְתַנּוּ ; v. 14: עֲמָמֶיךָ; v. 28: תְּיַבֵּב. Attamen ex critica textuali animadvertimus illas voces in versibus corruptis inveniri.

Omnes catholici, immo permulti critici independentes recentem post victoriam cantici originem tenent. Ita ex horum numero idem Budde dicit: „Processus et accurate dithyrambicus[2] in toto, dramaticus in singulis prout a carmine populari, antiquissimo tempore post recens factum scripto expectare debemus."[3]

1) Versuch einer Reconstellation des Deboraliedes, Leipzig, 1894. p. 6 cf. Zapl. p. 3
2) Dithyrambus erat poema in honorem Bacchi. 3) Budde l. c. p. 40 et cf. Zapl. 4

Auctor cantici. Carmen vocari solet: „canticum Debhorae", unde plures, praecipue antiquiores interpretes Debhoram esse auctorem putant. Sed ipse primus versus indicat non Debhoram solam illud composuisse: „cecinit Debhora et Baraq (cf. scr. p. 19). Sunt in carmine adhuc duo versus: 7us et 12us, qui ex textu masoretico hanc opinionem Debhorae auctoris partim suggerunt: in 7° versu - עַד שַׁקַּמְתִּי - donec surgerem; in 12 v. - דַּבְּרִי שִׁיר - loquere canticum. Attamen ope versionum nobis persuasi sumus has expressiones esse corruptas (Zapl. p. 4).

Novack e contra tenet illum 12um v. et adhuc 15um Debhorum tamquam auctorem excludere. Haec opinio, secundum rectam animadversionem Zapletal, iam per excessum laborat, in poesi enim auctor potest se alloqui (v. 12) vel se in tertia persona introducere. Exinde tamen contra Novack non sequitur Debhorum fuisse auctorem. Carminis auctor secundum opinionem graviorum recentiorum exegetarum est ignotus.

Metrum cantici Debhorae (cf. scr. p. 10 11.)

Canticum Debhorae et prosaica narratio eiusdem facti. Relatio carminis ad c. 4um i. e. ad prosaicam narrationem eiusdem facti interpretes s. Scripturae a longo tempore occupat.

Quidam ex castris criticorum independentium in carmine inveniunt non tantum aliam rei expositionem, sed etiam contradictiones cum cap. 4° (Zapl. p. 10). Attamen iam tempus praeteriit, quando Wellhausen affirmare potuit sine ulla critica suorum, narrationem prosaicam (c. 4) esse tantum excerptionem e carmine factam, quae „specialia poesis imminuat et ea falsificet". 1) Opinio Wellhauseni hucusque subiit criticam ipsorum independentium, qui illam reiecerunt, ut v. g. Moore, Budde aliique plures. Ipsi valorem proprium narrationi prosaicae, secundum alios fontes conscriptae, asserunt. Ita ex c. 4° comperta habemus: capitalem urbem Chananaeorum – Charošeth Goim (4, 2), nomen mariti Debhorae – Lapidoth (4, 4), domicilium Debhorae – inter Rama et Bethel in monte Ephraim (4, 5), locum originis Baraq – Qadeš Nephtali (4, 6), castra Hebraeorum – in monte Tabor (4, 6. 12), numerum curruum Sisarae: nongentos (4, 3), locum tentorii Ja'el juxta Qadeš (4, 11). Certe, haec omnia non ex carmine sumpta sunt, nec ideo c. 4um est excerptio e carmine facta.

Attamen Wellhausen novas difficultates contra duplicem narrationem protulit. Admittit quidem canticum esse facto contemporaneum seu documentum summi valoris pro historia Hebraeorum, statum politicum illius temporis exprimens, et pro

1) Wellh. Prolegomena zur Geschichte Israels, 1886 p. 249, ap. Zapl. p. 111.

religione, authentice ideas religiosas continens. Sed ulterius in carmine animadvertit enthusiasmum iuvenilem Hebraeorum, circa Jahva unitorum[1]. E contra narratio prosaica secundum Wellhausen est frigida. Ibi solus Jahve, tanquam agens apparet, dum Israelitae tanquam passive adsunt. Baraq et Debhora in utraque narratione inter se differunt: ille in cantico est strenuus pugnator, in prosa vero tantum timidum remedium in manu Debhorae comparet; haec in carmine corroborat animos bellatorum, in prosa munus Debhorae ad locutionem tantum oraculorum reducitur etc..–

Attamen comparatio Wellhauseni, prout bene Lagrange perspexit (p.111), insufficienti analysi utriusque textus et mala notitia styli poëtici laborat. Necesse est igitur fundamentum historicum cantici distinguamus et modificationes, quas stylus poëticus introducit.–

Gravior est critica Budde (p. 34), qui in cantico Debhorae elementa essentialia agnoscit esse historica; tres tantum minores antinomias in singularibus observat: 1° De tribubus Hebraeorum belli participibus: c. 4° solum Zabulon et Nephtali (4, 6. 10) proelio interveniunt; c. 5° auctor adiungit adhuc Issachar,

1) Wellhausen „Geschichte Isr. p. 38, ap. Lagrange p. 111.

Ephraim, Machir, Beniamin. 2° De modo mortis Sisarae: in cantico Iaʿel occidit Sisaram stantem et lac bibentem; in narratione vero prosaica, clam tentorium ingressa, iacentem et dormientem (4, 21). 3° De loco proelii: in carmine secundum 5, 19 reges Chananaeorum pugnaverunt ad Taʿanach super aquas Megiddo et victi in torrente Qišon perierunt; in prosa vero 4. 12. 14 Baraq hostes de Tabor aggreditur.

Quoad 1um respondemus: in prosa Zabulon et Nephtali explicite nominantur, uti centrum bellatorum; in carmine quoque illi solum ab auctore clare indicantur, cum sermo de ipso proelio sit (5, 18). Circumstantia autem narrationis prosaicae, Debhoram de regione Beniamin-Ephraim venisse et pugnam fuisse in ditione Issachar suggerit illas carminis tribus bello intervenisse. — Quoad 2um: de morte Sisarae canticum probabiliter imaginem abbreviatam continet. Praesentia equidem paxilli in manu Iaʿel (5, 26) excludit occisionem stantis et indicat eum iacentem esse interfectum.

Quoad 3um: ipse Budde leve fundamentum antinomiae agnoscit: Vielleicht aber besteht kein Widerspruch (p. 34) et deinde ipse difficultatem explicat.

Tabor forsitan fuit locus, quo tribus Hebraeorum ante proelium se iunxerunt et unde ad pugnam in planitiem Ezdrelon descenderunt. Taʿanach et Megiddo quoque retro praesidium exercitus Chananaeorum esse poterant.

In genere animadvertimus idem factum aliter in prosaica narratione et alio modo in carmine exponi; hoc modo explicatur quoque Sisaram in cantico esse principem confoederatorum Chananaeorum et in prosa (4, 2) tantum ducem exercitus regis Jabin (Zapl p. 14.)

Igitur idem factum historicum praesentant prosa et poesis, sed suo genere litterario. Modus tamen exponendi sub respectu litterario est satis diversus, alteruter ab invicem independens; carmen est compositio sub impressione facti, non autem ex prosaica narratione mutuatum; ex altera parte, prosaica narratio non est scripta secundum carmen, ac veluti esset praefatio cantici in poetica collectione, v. g. liber iustorum vel bellorum Jahve, sed est ex bonis partibus historicis hausta.

Alias animadversiones litterarias in decursu exegesis fecimus, v. g. in cantico Jaʿel lac offert

Sisarae in phiala (5, 25), in prosa in utre (4, 19) et s. p.

Critica historica.

1. Momentum cantici Deborae relate ad historiam Hebraeorum.

Interpretes, qui asserunt canticum Deborae esse tantum productionem artificialem, nullum historicum valorem ei attribuunt. At illi sunt pauci.

Quidam alii in carmine perperam historiam explicaverunt. Ita Niebuhr[1] tenet Sisaram esse pharaonem aegyptium Sesu-Re ex 18ª dynastia, per matrem descendentem de Amenophis IV, rege haeretico „qui novos deos quaesivit" (cf. Jud. 5, 8) Chananaei contra eum rebelles erant victi, sed postea ipse pharao ab Hebreis est profligatus.

Marquart[2] de Sangara, rege Hetaeorum IX s. cogitabat; Sisara esset suus filius Pisiri.

Alii historicum fundamentum cantici recipiunt, sed graves immutationes supponunt ita, ut secundum eos nihil certum in carmine remanserit. Ita Winkler[3] saltem duo diversa

1). ap. Lagr. p. 114.
2) Fundamente israel. u. jüd. Geschichte 1896. ap. Nowack p. 39.
3) Geschichte Israels in Einzeldarstellungen II, Lipz. 1900 p. 123 sq, ap. Zapl. p. 8.

in cantico obiecta distinguit: 1) alterum — mythicam pugnam Jahve cum adversariis viribus coelestibus, 2) alterum — pugnam Hebraeorum cum Chananaeis. Sed agnoscimus nos de illa mythica pugna Jahve nec vestigium reale animadvertere.

Alii ulterius canticum pure mythologice interpretantur. Ita secundum Steinthal[1] Baraq designat fulgur, Debhora apem. Sed pluvia et ros ad mel producendum multum valent, ideo apis significat nubes. Ja'el, rupicapra simili modo est symbolum nubium. Modus mortis Sisarae ope mallei et clavi deum fulguris in memoriam revocat.

Seinecke[2] putat in cantico esse fragmentum antiquae Hebraeorum mythologiae: ex una parte praesto sunt Debhora, Baraq, Ja'el, ex altera Jabin et Sisara; illi designant vires, serenitatem coeli reddentes, ut tonitru, fulgur in oppositione contra hos, i.e. nubes. Attamen contra Steinthal et Seinecke adnotamus nomina Baraq, Debhorae, Ja'el apud Semitas, tanquam personalia individuorum occurrere; per consequens talia sunt consideranda, secus vis textui infertur (Zapl. p. 9).

1) Zeitschrift für Volkspsychologie 1862 p. 164, ap. Zapl. p. 6.
2) Geschichte des Volkes Israel I, Göttingen 1876 pp. 243-245, ap. Zapl. p. 7.

Contra laudatos criticos historicam indolem cantici Debhorae defendunt omnes catholici, etiam plures independentes, v. g. Wellhausen, Budde, Moore, Nowack aliique multi, simulque pretiosissimum documentum antiquae Hebraeorum historiae esse asserunt.

In genere et cantico Debhorae factum capitale certaminum cum Chananaeis comprobatur.

In specie magni momenti conclusiones pro eadem historia Hebraeorum e carmine eruuntur: (Zapl. p. 5-6). Primo, tribus Israel mutuam dependentiam agnoscebant: in communi periculo necessarium ac naturale existimabant unitis viribus procedendi. Vinculum unionis inter singulas tribus non erat tam dissolutum, prout quidam interpretes censent. Per consequens concludere possumus in expugnatione terrae Chanaan communiter processisse. Equidem mentio Judae et Simeon in cantico deficit, quia tunc temporis in possessione Chananaeorum adhuc remanebant arx Jerusalem aliaeque urbes vicinae munitae, quae Judam cum Simeone a septentrionalibus tribubus separabant. Secundo, ope cantici Debhorae confirmatur traditionalis divisio

Terrae Sanctae: Ruben trans Jordanem habitabat (v. 15-16), Hebraei quoque terram Galaad possidebant (v. 17), parva tribus Beniamin potenti Ephraim iungitur (v. 14) etc.

Tertio, ex cantico Debhorae videmus, in quantum Chanaan adhuc in possessione indigenarum fuerit. Hebraei montana inhabitant, quo currus bellici Chananaeorum difficile ascendunt et minus, quam in regione campestri eis nocent, planitiem autem Ezdrelon indigenae possident.

Quarto, praesentia unius familiae Cinae in planitie Ezdrelon novum lumen historiae Hebraeorum praebet. Secundum traditionem Cinaei, cognati Moysis, una cum Hebraeis in Palestinam immigraverunt (ex Num. 10, 29 seq.). Antiqua amicitia periodo iudicum aliquatenus duravit, nam Ja'el, mulier Cinaea, inimicissimum Hebraeorum Sisaram occidit, quamobrem laudes supra omnes mulieres nomadum in carmine merita est.

2. Canticum Debhorae relate ad religionem Hebraeorum:

a) Winkler[1] opinionem proposuit, Jahve Deum fuisse tantum Judae, cum e contra tribubus

[1] Geschichte Israels in Einzeldarstellungen I, Leipzig 1895 p. 33 seq., ap. Zapl. p. 10.

septentrionalibus Jahve primitus ignotus esset, nam primus David apud eas cultum Jahve introduxerit.
Attamen canticum Debhorae ostendit, opinionem Winkler realitati contradicere (Lagr., Zapl., aliique). Poeta in honorem Jahve canit et tribus septentrionales expressione : עַם יְהוָה „populus Jahve" (5.13) vocat.
Jahve ope astrorum pro suo populo pugnat et praeclarum Eius facinus laudibus extollitur.
b) Jahve in auxilium populi sui venit de Edom (5.4), inde apparet Eius relatio cum Sinai, monte sancto apud Hebraeos, et cum revelatione ibi Moysi data; non autem egreditur Jahve de Babylonia, quod argumentum contra evolutionem religionis Hebraeorum e babylonica praebet.



Historia Samsonis.

Historia Samsonis.

Iud. 13 – 16.

Argumenti summarium.

Interpretes historiam Samsonis in tres partes dividunt: 1ª futurum munus Samsonis et nativitatem eius describit (c. 13);

2ª matrimonium eius cum muliere Philistaea ex Timna (cc. 14–16,3);

3ª amorem erga Dalilam et mortem Samsonis (c.16,4–31).

In prima parte (c. 13), quae historiae veluti praefationem constituit, bis angelus apparet: primo, sterili uxori Manoach Danitae ex Sorʿa, secundo, etiam eius marito et annuntiat nativitatem filii, qui ex utero matris erit nazaraeus, ut postea Hebraeos e manu Philistaeorum liberet.

In secunda parte (cc. 14-16,3) auctor

narrat fata matrimonii Samsonis cum Philistaea ex Timna. Convivium nuptiale Samsoni fuit occasio proponendi problematis de dulcedine, quae de forti egressa est. Fraude per uxorem sodales problema solvunt, quibus Samson dat vestes, triginta Philistaeis occisis. Iratus, quod uxor eius alteri tradita erat, segetes Philistaeorum incendit et magnam cladem eis intulit atque paulo post adhuc maiorem, cum a tribu Iuda vinctus Philistaeis esset traditus, asini enim maxilla apprehensa hostes in fugam vertit. In urbe Gaza Samson media nocte e periculo se proripuit atque (atque) portam urbis in proximum montem transtulit.

Tertia pars (16,4-31) amorem Samsonis erga mulierem Delilam ex valle Soreq describit. Dolo circumventus et una cum coma viribus privatus, Samson in manus hostium incidit, qui ei oculos effoderunt et frumentum in carcere molere coëgerunt; tandem ad festum Dagonis cum ludibrio produxerunt; sed crines Samsonis una cum pristinis viribus iam renasci coeperunt. Coecus ille, Dei auxilio invocato, duas columnas, quibus aedificium innitebatur, concussit et ipse cum pluribus Philistaeis obrutus periit.

4/X 1928 Sp. R.

Versio latina et commentarius.

13,1. Et iterum filii Israel fecerunt malum coram Jahve; tum Jahve tradidit eos in manum Philistaeorum quadraginta annis. 2. Erat vir quidam de Sor'a ex stirpe Dan et nomen eius Manoach, cuius uxor fuit steri-

---

13,1. Oppressio. Primus versus continet consuetam redactoris libri formulam, introductionem in acta singulorum iudicum efficientem. Cfr. 3,12; 4,1; 6,1; 10,6. Vaga formula non indicat, narrationem immediate supra memoratos iudices subsecutam esse. Potius 10,7 innuit, oppressionem Philistaeorum et Ammonitarum simul durasse. [פְּלִשְׁתִּים cf. in fine commentarii.]

Prima apparitio angeli v.v. 2-7.

2. (אִישׁ אֶחָד vir quidam. cf. 9,53: אַחַת אִשָּׁה mulier quaedam, quae Jephte occidit.)

מִצָּרְעָה de Sor'a. Hoc nomen iam in litteris Amarnensibus occurrit. Secundum Jos. 19,41 ad tribum Dan pertinebat; secundum vero Jos. 15,33 ad Judam, quod testatur, Danitas meridionales cum tribu Juda coaluisse. Post reditum ex exilio Babylonico haec urbs fuit iterum occupata (Neh. 11,29) a filiis Juda. Urbs Sor'a sita erat versus occidentem ab Hierosolymis, haud procul a via ferrea, quae de Hierosolymis Jaffam ducit, prope biblicam Beth-Šemeš. Antiqua urbs Sor'a aedificata erat in colle, unde statim planities aperitur, loco valde incursionibus Philistaeorum exposito.

lis et non peperit. 3. Tum angelus Jahve ap-
paruit mulieri et dixit ei: „ecce sterilis es et
non peperisti, sed concipies et paries filium.
4. Hoc vero tempore abstineas, quaeso, neque bibas

מִמִּשְׁפַּחַת proprie significat: de familia seu est terminus subdivisionis שֵׁבֶט tribus, in quas filii Jacob sunt divisi et in מִשְׁפָּחֹת nepotes eorum. In textu legimus numerum singularem, num Dan unum tantum filium habuit. Cf. Gen. 46,23; Num. 26,42; ideo illae duae ideae pro Dan promiscue adhiberi poterant.

מָנוֹחַ Manoach, hic tantum occurrit, tanquam nomen proprium. Post captivitatem Babylonicam 1 Chr. 2,54 incolae Sor'a vocantur הַמָּנַחְתִּי, ideo Manoach erat nomen gentilitium, proprium unius familiae, quae in Sor'a domicilium fixerat; [tali pacto Manoach est pater Samsonis dualogice ac Gilead - pater Jephte. Cf. Jud. 11,1 (Budde, Nowack, Lagr. Zapletal).]

עֲקָרָה וְלֹא יָלָדָה sterilis et non peperit - est pleonasmus. In sacris Litteris et aliae steriles mulieres occurrunt, v. g. mater Samuelis (1 Sam. 1,2), Joannis Baptistae (Luc. 1,7), in historia patriarcharum: Sara, Rebecca, Rachel. [illegible] Parentes Samsonis.

3. מַלְאַךְ־יְהוָה angelus Jahve, Dei legatum repraesentare solet. Posteriori tempore ille titulus prophetae quoque tribuitur ob munus simile angelo Jahve.

Expressionem וְהָרִית וְיָלַדְתְּ sed concipies et paries, Lagr. (p. 222) omittit, tanquam parallelismum v. v. 3^{i} et 5^{i} rumpentem; de hac G^{A} fluctuat. | Igitur in hoc versu angelus Jahve nativitatem Samsonis uxori Manoach annuntiat.

1/X 1428

4. שֵׁכָר sicera, praeter vinum omnem alium potum fermentatum designat. S. Hieronymus sequenti modo sensum שֵׁכָר explanat: „Sicera hebraeo sermone omnis potio nuncupatur

vinum, nec siceram, nec quidquam immundum comedas, 5. quia ecce concipies et paries filium et novacula per (su) caput eius non transibit, quoniam puer erit nazaraeus Dei ex utero (matris suae), et ipse incipiet salvare Israel de manu Philistaeorum." 6. Et mulier venit et viro suo locu-

---

quae inebriare potest, sive illa, quae frumento conficitur, sive pomorum succo, aut cum favi (plastr miodu) decoquuntur in dulcem et barbarum potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus, aqua pinguior colatur." (Ep. ad Nepotianum P.L. t. 22 c. 536, ap. Lagr. p. 222, ap. Zapl. Der Biblische Samson p. 56). – Secundum legem nazaraeorum (erat) (Num. 6,3 sq.) omnis potus inebrians nazaraeis erat prohibitus, quod praeceptum ad matrem Samsonis ~~est extensum~~ (extenditur). Impurum autem omnes Hebraeos obligabat. Itaque in 4° v. angelus Iahve matri praecepta relate ad filium imponit

5. הִנָּךְ הָרָה (הרה) analogice cum Gen. 16,11 significat: ecce tu es gravida, unde Budde (p. 94) concludit matrem Samsonis iam concepisse, quod ei adhuc (tamen) ignotum erat. Sed הִנֵּה ecce, tempus quoque futurum respicere potest; immo in casu excluditur matrem Samsonis ab ipsa conceptione potum inebriantem adhibuisse (cf. v. 4), ideo recte Zapl. (p. 57) censet conceptionem tantum fore) – Puer erit נְזִיר אֱלֹהִים nazaraeus Dei i. e. Deo consecratus; נָזִיר proxime accedit ad hebraicam radicem נָדַר vovit. Ex historia Samsonis apparet votum primitus constitisse in consecratione crinium, quos novacula non tangebat; abstinentia vero a potu inebrianti nonnisi illam sequebatur. – וְהוּא יָחֵל לְהוֹשִׁיעַ אֶת־יִשְׂרָאֵל – Et ipse incipiet salvare Israel, primus omnium libertatem Hebraeorum de manu Philistaeorum vindicabit, sed non perficiet, quod Samuel, Saul aliique continuabant. [illegible] (futura)

6. אִישׁ הָאֱלֹהִים vir Dei; mulier nesciebat eum esse angelum, sed prophetam esse putabat.

ta est his verbis: „vir Dei venit ad me; cuius aspectus erat, sicut aspectus angeli Dei valde terribilis, quem cum interrogassem, unde ipse (venisset), ille nomen suum mihi non indicavit. 7. Et dixit mihi: ecce concipies et paries filium et hoc tempore ne bibas vinum, nec siceram, nec comedas quid immundum, quoniam puer erit nazaraeus Dei ex utero (matris suae) usque ad diem mortis suae.

8-21. II apparitio angeli. 8. Tum Manoach supplex oravit ad Iahve, dicens obsecro, Deus, veniat iterum ad nos vir Dei, quem

---

6. G[A] et V. omittunt לֹא non, ante שְׁאִלְתִּיהוּ interrogavi eum.

Sub influxu redactoris legimus: מַלְאַךְ הָאֱלֹהִים angelus Dei, alias vero habemus: angelus Iahve (cfr. v.v. 3.13.15.16.17.20.21).

נוֹרָא מְאֹד valde terribilis, metum uxoris Manoach efficit eam divinum quid vidisse.

שְׁאִלְתִּיהוּ interrogavi eum, in Oriente nomen hospitis directe inquirere non solebant, sed tantum interrogabant, unde veniret et quo tenderet. Illis quaestionibus peregrinus ipse iungebat, quis esset, quod angelus non indicavit (Lagr. 224). Uxor refert viro apparitionem angeli Dei.

7. Dum commota uxor annuntiationem angeli viro repetit, de novacula, de munere futuri filii (cf. v. 5) omittit, sed ipsa de nazaraeatu adiungit: עַד יוֹם מוֹתוֹ usque ad diem mortis suae.

Secunda apparitio angeli v.v. 8-21.

25/V 1928. 8. Manoach nuntium pariter ac uxor אִישׁ הָאֱלֹהִים vir Dei, vocat eum esse tantum prophetam existimans. Maritus orat, ut Deus iterum eis nuntium mittat, quia perturbata uxor quaedam interro- (užmiršo paklausti) gare neglexerat, quaedam viro non satis (netiksliai) praecise (jam) retulerat (papasakojo)

misisti, et doceat nos, quid faciamus puero, qui
nasciturus est. 9. Et Deus exaudivit vocem Mano-
ach (ita), ut angelus Dei iterum venerit ad mu-
lierem, cum illa in agro sederet et Manoach,
vir eius, non esset cum ea. 10. Tum mulier festi-
nanter cucurrit et nuntiavit viro suo, ei dicens:
ecce vir apparuit mihi, qui (illa) die ad me ve-
nerat. 11. Tum Manoach surrexit et secutus est u-
xorem suam, veniensque ad virum dixit ei: nonne
tu es vir, qui locutus es uxori et ille respondit:
ego sum. 12. cui Manoach dixit: tempore, quo ser-
mo tuus adimpletus erit (venerit), quale praescrip-

---

10. Post בַּיּוֹם die, G^{AL} et alii, addunt הַהוּא illa (die); V. huius expressionis tantum sensum reddit.

12. עַתָּה nunc, corrig. in עֵת tempore.

Loco דְבָרֶיךָ sermones tui, multi codices mss, G^{B}, V. Peš. legunt in singulari: דְבָרְךָ sermo tuus.

---

9. [מַלְאַךְ הָאֱלֹהִים angelus Dei, secundum contextum primitus fuit: vir Dei vel angelus Iahve.] Oratio Manoach est exaudita.

10. Uxor maritum de secunda apparitione nuntii cito certiorem facit.

11. Manoach, uxorem sequens ad nuntium venit et eum inquirere incipit.

12. Graviores exegetae corrigunt haud congruentem textui יָבֹא עַתָּה nunc veniet in עֵת יָבֹא tempore, quo venit. Hic est antiquus error, qui versionibus quoque irrepsit (Lagr. p. 225).

מִשְׁפַּט־הַנַּעַר lex, praescriptum pueri, tam ipsum puerum, quam

tum pueri et opus eius fuerit? 13. Tum angelus
Iahve ad Manoach respondit: ab omni, quod uxo-
ri locutus sum, abstineat. 14. omne, quod de vite
provenit, ne comedat, vinum et siceram ne bibat, nul-
lam rem immundam comedat; omne, quod ei praece-
pi, observet. 15. Tum Manoach dixit ad angelum Iah-
ve: retineamus te, quaeso, et haedum caprarum tibi
paremus. 16. sed angelus Iahve ad Manoach respondit

14. הַיַּיִן omittunt G^L N et alii

---

quam rationem agendi parentum erga eum respicere potest. Lagr.: la règle.
וּמַעֲשֵׂהוּ et opus eius, designat, quod in puero parentibus sit faciendum,
tam ante nativitatem, quam primis annis post. V. libere (vertit) reddit.
Igitur Manoach nuntium consulit de praeceptis ad futurum filium spectantibus.
13. Sequitur generalis responsio angeli Iahve, ad uxorem directa.
14. Post מִגֶּפֶן de vite, sensu superfluum הַיַּיִן vini, cum multis codicibus
G omittimus. V. in fine versus adiungit: impleat. Itaque angelus, in specie prae-
cepta enumerans, supra dictas instructiones repetit et secundum communem legem
nazaraeatus (Num. 6, 4) adnectit abstinentiam ab omni, quod de vite provenit,
sed simul de novacula tacet.
8/XI 1428 15. Paremus tibi haedum caprarum, i. e. tenerum et iuvenculum hae-
dum caprinum. נַעֲשֶׂה paremus, est ambiguum, nam cibum parare et sacrificium
Deo offerre designat. Secundum plures interpretes (v. g. Cornel. a Lap. l. c. p. 167)
Manoach explorare voluit, quis loquens esset, homone, an Deus vel angelus
Dei. Si enim sibi sacrificium offerri permitteret, certum erat ipsum esse Deum;
si autem id abnueret et cibum tantum sibi apponi cuperet, certum erat eum
esse hominem.
16. Angelus, utrumque recusans, respondit: si me retineas, scilicet, invi-
tando et urgendo, non comedam de cibo tuo, quia sum angelus et invisibili

si me retines, non comedam de cibo tuo; si au-
tem holocaustum parare vis, offer illud Jahve,
quia Manoach nesciebat, quod angelus Jahve
esset. 17. Tum Manoach locutus est angelo Jah-
ve: quod est nomen tuum, quia si sermo tuus ad-
impletus erit, honoremus te. 18. Angelus autem Jah-
ve respondit ei: cur tandem quaeris nomen meum,
quod est mirabile? 19. Tum Manoach tulit hoe-
dum caprarum et incruentam oblationem ac super
lapide obtulit Jahve, qui mirabilia facit; (Mano-

---

17. Loco דְּבָרֶיךָ sermones tui, leg. cum G., V., Peš. in num. sing. דְּבָרְךָ sermo tuus. cf. v. 12.

19. Loco וּמַפְלִא leg. cum G., V., Syr.[Hexapl.] et aliis הַמַּפְלִא mirabilia faciens. - Ult. expr. וּמָנוֹחַ וְאִשְׁתּוֹ רֹאִים Manoach vero et uxor eius intuebantur, est dittographia ex v. 20 (Kagr., Zapl. aliique).

---

cibo vescor; si vis holocaustum offerre, offer illud Jahve, i.e. non mihi, qui tantum angelus Dei sum. (Hospes) [Nuntius] reicit cibum et consilium dat Deo offerre holocaustum. –

17. Nuntius in responso suo (v. 16) non indicat, quis esset, ideo Manoach contra usum in Oriente explicite nomen interrogat, ~~tanquam~~ motivum adducens ei gratum animum exhibendi, si praedictio adimpleta erit. cf. 1 Sam. 9, 6-9.

18. Angelus curiositati Manoach non satisfacit; e contra eam magis stimulat, dum respondet interrogatione et iungit, nomen suum esse mirabile, i.e. suprat intelligentiam humanam. Eadem nominis interrogatio habetur Gen. 32, 29: Jacobi cum angelo luctantis, sed ibi non additur: quod est mirabile.

19. מִנְחָה oblatio incruenta, ad complendum ~~sacrificium~~ sacrificium inservit, per consequens non est glossa (contra Moore, Budde).

הַצּוּר cum articulo designat notum lapidem, probabiliter ad

ach vero et uxor eius intuebantur). 20. Cum autem flamma de altari ad coelum ascenderet, tunc angelus Iahve in flamma altaris ascendit; Manoach vero et uxor eius aspicientes in faciem suam super terram ceciderunt. 21. Et angelus Iahve Manaacho ac uxori eius non amplius apparuit; tum Manouch intellexit angelum Iahve fuisse.

22. Et Manoach dixit uxori suae: certe moriemur, quoniam Deum vidimus. 23. Sed uxor eius respondit (ei): si Iahve nos occidere vellet, de ma-

22-25

23. מִיָּדֵנוּ de manu nostra, circiter 50 Mss, G[A], V habent num pl. מִיָּדֵינוּ de manibus nostris.

---

sacrificia offerenda destinatum. Igitur Manoach holocaustum, quod angelus rogabat, offert.

20. Flamma fuit naturalis, ~~et~~ igne sacrificii excitata, non autem miraculosa, prout Iosephus Fl. supposuit analogice cum Iud. 6,21 et plures auctores post eum arbitrati sunt. Hae duae narrationes sunt distinguendae (Hummel. p. 254, Lagr. p. 228). In illa flamma angelus ascendit in coelum.

21-us versus duabus diversis partibus constat: prima narrationem de angelo concludit, in altera auctor impressionem Manoach tradit.

5/XI 1928. **Metus Manoachi, nativitas et initia Samsonis** v. v. 22-25.

22. אֱלֹהִים Deus, hoc loco Hummelauer (p. 254) admittit etiam significationem: angelus, at minus recte, nam Deum tantum designat, sed permotus Manoach illud non distinguit. De hac populari opinione cfr. Iud. 6,22: similem metum Gedeonis; Gen. 32,30: Iacobi post luctamen cum angelo.

23. Perturbato marito uxor animum relevat.

nibus nostris holocaustum et incruentam oblationem non suscepisset, nec haec omnia ostendisset, nec similia nuntiasset. 24. Et mulier peperit filium, et vocavit nomen eius Samson. Et puer crevit, et Iahve ei benedixit. 25. Et spiritus Iahve coepit impellere eum in castris Dan, inter Soŕa et inter Eštaol.

---

23. כָּעֵת sicut tempus, cum pluribus Mss graecis, veteri latina deinde V. versionibus omittimus.

---

24. Nativitatem et initia pueri habemus.

Nomen Samsonis derivatur a subst. שֶׁמֶשׁ sol; finalis vero וֹן exprimit sive adiectivum sive etiam diminutivum substantivum. Tali pacto hoc nomen designat: solaris aut diminutive sol. Ios. Fl. nomen Samsonis a forma intensiva verbi שָׁמֵן deducit: corpulentus, validus; alii a v. שָׁמַם devastator, depopulator; Ewald derivat a syriaca radice "šameš" - minister = nazaraeus (Zapl. p. 61). De Samsone cfr. in fine commentarii.

25. us versus indicat, in quo praecedentis versus benedictio Dei consisteret.

Antiquus <u>Eštaol</u> hodie recognoscitur circa 4 klm. a Soŕa ita, ut castris Dan promontorium inter duas valles locus idoneus castris ponendis inservierit, cum Qirjat-jěarim Iud. 18, 12 (urbs versus orientem in finibus Beniamin et Iudae) i. e. alio loco castrorum Dan nulla est oppositio, nam in tabernaculis viventes Danitae illo tempore domicilium mutatum habere poterant.

14,1. Et Samson descendit Timnam, et vidit Timnae mulierem (quandam) de filiabus Philistaeorum. 2. Tum ascendit et nuntiavit patri suo et matri suae, dicens: mulierem vidi Timnae de filiabus Philistaeorum, quam nunc accipite mihi uxorem. 3. Sed pater eius et mater eius responderunt ei: numquid in filiabus fratrum tuorum

---

Secunda pars (14-15) duabus sectionibus constat. Prima (14,1-15,8) initia inimicitiarum contra Philistaeos describit, altera (15,9-20) Samsonem insigni victoria iudicem esse factum enarrat (cf. Humm. p. 257).

Primum iter Samsonis Timnam (14,1-4).

1. תִּמְנָתָה. Probabiliter urbs Timna vocabatur, ut ex nomine gentilitio Iud. 15,6 הַתִּמְנִי sequitur. Finalis ָה forsitan accusativum designat. Timna ad tribum Dan pertinebat (Jos. 19,43), in confinibus tribus Iudae (Jos. 15,10) sita erat. Hodie appellatur Tibne, 5½ klm. a Soraa distans, versus meridiem in valle Sefela; per consequens incursionibus Philistaeorum valde exposita erat.

אִשָּׁה mulier, non virgo dicitur. Inde Budde (p. 98) recte animadvertit viduam aut a marito separatam fuisse vel auctorem de ea contemptim loqui. Similiter appelatur Delila 16,4. – Cur Samson Timnam descenderit, interpretes quidam gratuitas coniecturas silente S. Scriptura proponunt.

2. Samson parentibus annuntiat sibi mulierem Philistaeam placuisse; horum vero erat uxorem filio suo petere. Exegetae quidam (Hum. p. 258) coniugium Samsonis cum ethnica muliere actione Spiritus S. excusant. Sed minus recte. Equidem auctor in tota historia Samsonis violentum impetum eius in Philistaeos describit, at nequaquam uti effectum Spiritus Sancti.

3. וַיֹּאמֶר praedicatum in singulari numero ante duo subiectu

et in omni populo tuo mulier deest, quia uxorem
de Philistaeis incircumcisis accipere vadis, et Samson
patri suo dixit: eam mihi accipe, quia haec mihi
placuit. 4. Et pater eius, et mater eius nesciebant,
quia (res) a Iahve erat, quoniam ille occasionem
contra Philistaeos quaerebat, illo enim tempore
Philistaei Israeli dominabantur.
5. Et Samson (cum patre suo et matre sua) 5-9

---

3. וּבְכָל־עַמִּי et in omni populo meo, sequentes G et Peš. legimus: עַמְּךָ " populo tuo.
5. וְאָבִיו וְאִמּוֹ et pater eius et mater eius ex contextu omittimus; ideo cum G praedicatum in sing. n. וַיָּבֹא cum venisset, corrigimus.

---

nihil est extraordinarium in lingua hebraica. - „In filiabus fratrum tuorum et in omni populo tuo" scilicet, pater distinguit primo cognationem in eadem tribu, dein propinquitatem totius populi, v. g. vicinam tribum Iudae respiciens (Lagr. p. 231).

הָעֲרֵלִים incircumcisorum, consuetum, quo Hebraei Philistaeos onerabant, habemus cf. Iud. 15,18; 1 Sam. 14,6. Igitur parentes Samsonem admonent, ne alienigenam de Philistaeis incircumcisis uxorem ducat, sed hic acquiescere non vult.

4. תֹּאֲנָה est ἅπαξ λεγόμενον; G[B] vertit: ἐκδίκησιν vindictam, G[A] ἀνταπόδομα retributionem; V.: occasionem. Huius radix sensu: quaerere occasionem 4 Reg. 5,7 occurrit. Parentes et praecipue mater, ab angelo edocta de munere Samsonis, qui contra Philistaeos pugnaturus est, hoc matrimonium intelligere non possunt. Illi nesciebant in hoc medium ad finem assequendum constitisse.

Samson leonem dilacerat v. v. 5-9.

5. Primo obtutu Samson Timnam una cum parentibus descendisse

Timnam descendit; cum usque ad vineas Timnae
pervenisset, ecce catulus leonum rugiens ei obviam
(occurrit). 6. Tum Spiritus Jahve irruit super
eum (ita), ut illum (leonem) dilaceravit, sicut ha-
dus discerpitur, nihil in manu sua habens, sed pa-
tri suo et matri suae non indicavit, quid fecerit.
7. Tum descendit et locutus est mulieri, quae pla-
cuit Samsoni. 8. Post tempus quoddam reversus
est, ut eam acciperet (eam uxorem duceret) et, cum

---

videtur. Attamen ipse solus est, quando leonem dilacerat et quid ulterius parentibus acciderit, auctor sacer silentio praeterit. Praesentia parentum probabiliter a posteriori scriba est introducta, ut nuptiae legitimae evenirent, sed hoc antiquae historiae contradicit: consensu parentum ad nuptias cum Philistaea non obtento, Samson init speciem matrimonii, quod sadiqa dicebatur (Budde, Moore, Lagr., Zapl.) secundum quod uxor in domo patris sui remanebat ac maritum non sequebatur. Glossa textui irrepsit, cum ille usus in oblivionem venisset. Igitur expressionem „et pater eius et mater eius" omittimus ac praedicatum cum י in singulari numero legimus. – Hic versus inopinatum occursum leonis describit.

6. Spiritus Jahve irruit super eum, est consueta expressio de influxu (veikimo) Spiritus, saepius in S. Scriptura occurrens. Cf. v. 19; 15, 14; 3, 10; 6, 34; 13, 25 etc. Actio Spiritus hic in robore extraordinario apparet. Eventum Samsonis auctor s. comparat cum discerptione haedi, quae est haud facilis; angustia crescit praesente leone loco haedi.

7. Samson solus mulierem adit, quae ei definitive placet (cf. v. 1 et v. 3) ita, ut de matrimonio sibi invicem promiserint.

8. מִיָּמִים post tempus quoddam, spatium indefinitum complectitur, non solum aliquot dies, sed etiam menses designare potest.

לְקַחְתָּהּ non necessario significat accipere adducere in domum suam,

(a recta via) discessisset, ut cadaver leonis videret, ecce
(invenit) examen apium in corpore leonis et mel. 9. Tum
illud sumpsit in manus suas et iter faciens comedit;
cum ad patrem suum et matrem suam (ad mulierem)
venisset, eis (ei) dedit, qui comederunt, sed eis (ei) non
indicavit, quod mel ex cadavere leonis sumpserat.
10. Et (Samson) descendit ad mulierem et ibi 10-20

---

10. אָבִיהוּ pater eius, omittimus

---

sed potest simpliciter sensum habere uxorem accipere, matrimonium inire.

Tertia vice Samson Timnam se confert et quidem tunc temporis iam cum scopo nuptiarum fuciendarum (celebrandarum). In itinere videre vult, quid cadaveri leonis evenerit, et examen apium ex mel in eo invenit. Sed quomodo apes foetoris inimicae in cadavere leonis mel parare poterunt? Feri canes (szakale) tam frequentes in Palaestina carnes leonis devoraverunt et calor illius regionis penitus ossa exsiccavit ac foetorem amovit. Analogicum exemplum narrat Herod. l. 5 c. 114: „Onesili Amathusii caput, quia ipsos obsederat, amputatum et Amathuntem delatum supra portas suspenderunt. Illud autem suspensum et iam vacuum effectum, examen apum ingressum favis replevit." ap. Hummel. p. 262. Palaestina quibusdam locis apibus valde abundabat ita, ut arborum etiam rupium fissuras implerent.

9. Duplici modo interpretes hunc versum explicant: a) „Cum ad patrem suum et matrem suam venisset", scilicet, Samson Soream, quae haud longe distabat, ad parentes reversus est. b) Secundum autem Jos. Flavium (ad h. l.) Samson sponsae mel porrigit, inde Jos. Fl. legebat: אֶל־הָאִשָּׁה ad mulierem, loco: ad patrem suum et matrem suam; per consequens ulterius legit לָהּ ei, loco לָהֶם eis

Nuptiae et aenigma v. v. 10-20.

10. Pater sadiga nuptiis non interveniebat, ideo in textu cum qu-

fecerunt (Samsoni) convivium (septem dierum), quoniam iuvenes sic facere solebant. 11. Cum eum (Philistaei) vidissent, triginta sodales obtulerunt, ut cum eo essent. 12. Et Samson dixit eis: aenigma vobis proponam; si hoc mihi per septem dies convivii (certe) solveritis, et ipsi inveneritis, dabo vobis triginta linteas tunicas et triginta mutatorias

---

10. וַיַּעַשׂ et fecit, in numerum pl. corrig.: וַיַּעֲשׂוּ et fecerunt (cf. Kittel l. var.).

---

vioribus interpretibus אָבִיהוּ, tamquam glossam, omittimus (Lagr. 285, Zapl. 65). Subiectum tali pacto in propositione remanet Samson. Per consequens praedicatum וַיַּעַשׂ in plurali legimus, prout sequens explicativa phrasis innuit. Solemnitas nuptialis non a sponso, sed ab aliis praeparabatur.

G et Syr. post מִשְׁתֶּה convivium probabiliter recte adiungunt: ζ' ἡμέρας – septem dierum.

11. Duplex lectio huius versus conservata est. a) Textus masoret. continet: „cum vidissent", subintelliguntur: Philistaei. b) G vero legerunt: cum timerent (a v. יָרֵא timuit, cf. Kittel, Bibl. hebr. ad h. l.). Lectio tamen masor. praeferenda est, quoniam mos vigebat, ut tempore nuptiarum sodales honoris causa assignarentur; vires autem extraordinariae Samsonis Philistaeis adhuc ignotae erant et per consequens ratio timoris non quadrat.

12. חִידָה designat obscuram, involutam propositionem.

חֲלִפֹת בְּגָדִים; חלף sensum mutandi habet, ergo illa expressio designat: mutatorias vestes, Festkleider (Zapl. p. 66).

Nuptiae in Palaestina septem dies durabant; sponsi habere solebant sodales, hic 30, in Cant. Cant. 60, qui festivitatem nuptiarum in ludibus et canticis consumebant. Hisce circumstantiis probe congruebant aenigmata, quae quoque apud Graecos inter convivia proferebantur.

vestes. 13. Si autem non potueritis mihi solvere, vos da-
bitis mihi triginta linteas tunicas et triginta muta-
torias vestes; et dixerunt ei: propone aenigma tuum,
ut illud audiamus. 14. Et dixit eis: De comedente
cibus exivit et de forti dulcedo egressa est, sed non
potuerunt aenigma solvere (per tres dies. 15. Factum
est die septimo) 15. Tum dixerunt uxori Samsonis:
persuade viro tuo, ut aenigma tibi solvat, sicus igne

---

15. לָנוּ nobis, cum G corrig. in לָךְ tibi, quod bene cum contextu congruit.
הֲלֹא nonne, cum 5 Mss et Targ. corrig. in הֲלֹם huc.

Versus propositionem Samsonis et remunerationem pro aenigmate soluto complectitur.

13. Conditiones sodalibus statutas, si aenigma non solverint et consensum illorum in propositionem Samsonis complectitur.

14. Samson ab ultimo suo eventu materiam aenigmatis sumit. „De comedente cibus exivit", tunc temporis satis obvio sensu de animali rapaci exponebatur et leonem dici fortem nihil singulare habebat, sed inauditum erat suavitatem mellis de leone exire; in hoc tota solutionis difficultas consistebat. – Ulterius difficultas occurrit de numero dierum. Interpretes in dubium vocant expressionem: „per tres dies", nulla enim ratio adest, quare iuvenes usque ad septimum diem (v. 15) expectaverint et tunc tantum uxorem Samsonis intermediam adhibuerint. G et Peš legerunt: dies quartus, loco: septimus (v. 15). – Sed probabiliter expressio: שְׁלֹשֶׁת יָמִים וַיְהִי בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי per tres dies et factum est die septimo, est insertio posterior (Budde p. 101, Lagr. p. 236, Zapl. p. 66) ad aenigma tollendum, quod sodales frustra solvere conati sunt; verisimile autem est iuvenes statim ad uxorem Samsonis recurrisse: cf. v. 17: „septem diebus (illa) flebat ante eum."

15. Philistaei, uxorem Samsonis adeuntes, duplici ratione utuntur, ut illa

succendemus te et domum patris tui, nonne ad nos
spolia 'os huc nos vocastis.
16. Tum uxor Samsonis
flebat ante eum et locuta est: tantummodo me odio
habes et me non diligis; aenigma proposuisti filiis
populi mei, sed mihi non exposuisti; tum (Samson)
dixit ei: ecce patri meo et matri meae non exposui
et tibine indicabo?
17. Et illa flebat ante eum
septem diebus, quibus convivium duravit, sed die sep-
timo (Samson) exposuit ei, quoniam valde institit
ei, et illa indicavit aenigma filiis populi sui.
18. Et
dixerunt ei viri urbis die septimo, antequam sol occi-

---

secretum a marito extorqueat: primo, timoris, nam ipsam et domum patris eius incensuros minantur; secundo, dedecoris, nam opprobrium esset ad convivium ac nuptias titulo honoris invitandi, deinde autem spoliandi.

16. Sensus obvius hebr. expressionis: „flebat super eum" apparet ex Gen 45,15, ubi Joseph super fratres flevisse narratur, scilicet, eos amplexando.

„Tantummodo me odio habes et me non diligis", quod sequenti ratione manifestas, scilicet, aenigma mihi non exposuisti; i.e. occulta servas et non sincerus coram me te praestas. – In comparatione cum parentibus habemus infirmius argumentum animi Samsonis, iam vacillantis, quia maritus uxori intimius, quam parentibus adhaeret.

17. הֱצִיק valde institit; cf. analogice de Delila 16,16. Est fortis expressio. Samson garrulitatem uxoris et non perfidiam timuit. Cum ultimo die aenigma exponeret, brevi tempore rem non iri proditum confidebat. Ex hoc versu adhuc clarius patet paranymphos tantum Philistaeos fuisse.

18. „Antequam sol occidit"; חֶרֶס solem designans hic adhibetur cum finali accusativi (הָ) הַחַרְסָה ac significatione nominativi. Intacta vox ad contextum quadrat. Sed חֶרֶס usurpatur de sole, tanquam te-

dit (antequam thalamum intravit): quid dulcius mel
le et quid fortius leone. Et dixit eis: si non arassetis
vitula mea, aenigma meum non invenissetis. 19. Tum
Spiritus Jahve irruit super eum et descendit Ascalonem,
et percussit de eis triginta viros, et sumpsit exuvias
eorum, et dedit mutatorias vestes iis, qui aenigma sol
verant, et iratus ascendit domum patris sui. 20. Uxor
autem Samsonis facta est socii eius, qui ei munere pa
ranymphi functus erat.

---

minus poeticus. Ob hanc rationem, ob finalem extraordinariam, ob meliorem ad huc sensum interpretes recentissimi legunt הַחַדְרָה in talamum, in cubiculum dormitorium (חֶדֶר cum ה locali), i. e. antequam talamum ingressus est (cf. 15, 1), scilicet, ultimo momento, quo Samson se victorem esse putabat.

„Si non arassetis vitula mea", sensus obvius est: nisi fraudulenter per uxorem meam perfidam exquisissetis solutionem mei aenigmatis, nunquam illud vestro acumine invenissetis (Corn. a Lap. p. 175). – Samson uxorem suam vocat vitulam, quod ratione sexus et iuvenilis aetatis congruit. Aratione autem evertitur terra et frequenter, quod intra terram latebat, in lucem eruitur. Ideo metaphoram de secreto prodito habemus. – Minus recte per arationem quidam intelligunt secundum terminum neohebraicum fornicationem Philistaeorum cum uxore Samsonis, propositio enim nil obsceni complectitur.

19. „Spiritus Jahve irruit super eum", scilicet, impellens eum ad heroicam stragem Ascalonitis (ab urbe Ascalon, una ex numero quinque satrapiarum Philistaeorum) oppressoribus Israelitarum, inferendam. Auctor sacer in hoc versu duo motiva indicare voluit: primo, extraordinarias vires Samsonis a Spiritu Jahve acceptas; secundo, iram, qua motus, uxorem deseruit. – הַחֲלִיפוֹת non erant nimis pretiosae vestes, ut brevi inveniri non possent. „In domum patris sui", qui cum uxore inter Philistaeos sedem fixurus expectabatur. – 20. Uxor Samsonis tradita est socio eius, fors paranympho. Nomen מֵרֵעַ est formatione denominativa a v. רעה in Pi.: munere paranymphi functus est (Zapl.). Sors uxoris Samsonis post eius discessum indicatur.

15,1. Post tempus quoddam diebus messis tritici
Samson visitavit uxorem suam cum haedo caprarum
et dixit: volo ingredi ad uxorem meam, in thalamum,
se!, pater eius prohibuit ei, quominus intraret. 2. Et
pater eius dixit: profecto putavi te eam certe odisse, ideo
dedi eam socio tuo, sed minor natu soror eius, nonne
pulchrior est ea, sit, quaeso, tibi loco illius. 3. Samson
dixit ei: hac vice immunis sum erga Philistaeos, quando
eis malum fecero. 4. Et Samson profectus est et cepit
trecentos canes aureos, sumpsit faces, vertit caudam ad

---

3. לָהֶם eis, cum G^A corrig. in לוֹ ei.

Vindicta Samsonis de Philistaeis (15,1-8)

1. מִיָּמִים post dies, i. e. post tempus quoddam; iterum temporis nexum habemus vagum. - Messis in planitie Sefela fit a medio mense maio usque ad medium iunium. - Samson uxori dono haedum adfert, ut cum ea in gratiam redeat; cf. Gen. 38,17. 20. 23. Interpretes quidam (Budde, Moore) putant hoc donum in usu fuisse uxori, quae in domicilio patris habitabat. Secundae nuptiae uxoris Samsonis eiusdem generis fuisse videntur, nam illa iterum in domo patris sui remanet. Samson thalamum uxoris ingredi vult, putans se ius habere, unde apparet illud fuisse consummatum.

2. Pater uxoris rationem adfert, cur thalamum ingredi prohibuerit, simul Samsonem placare conatur, ei minorem natu filiam offerendo.

3. Iniuriam, per uxoris ablationem mihi illatam, ulciscar; quare sibi et non mihi imputent clades a me inferendas (Corn. a Lap. p. 176). - Samson gaudet Philistaeis illudendis ius obtinuisse.

4. שׁוּעָל proprie designat vulpem, in Palaestina canes quoque aureos complectitur. Hisce Samson usus est, quia plurimi erant nec difficile capiebantur. Samson ligamine quodam caudas duorum collegit et in medio eorum

caudam et posuit unam facem in medio duarum cauda-
rum. 5. Tum accendit ignem in facibus, misit in segetes
Philistaeorum et combussit a manipulis usque ad segetes
stantes et vineas et oliveta. 6. Cum Philistaei interro-
gassent, quis hoc fecisset, responsum est: Samson, gener
Timnaei, quia tulit uxorem eius et tradidit eam socio eius;
tum Philistaei ascenderunt et combusserunt eam et domum
patris eius (igne). 7. Samson autem dixit eis: quoniam

5. Ante זַיִת G et V inserunt וְ et, Peš. et Targ. וְעַד et usque.
6. Ante אָבִיהָ circa 50 Mss sec. de Rossi, G[AL], Peš. Syr.[Hexapl.] inserunt בֵּית domum.

---

posuit materiam avide flammam concipientem, v. g. lignum, picem exsudans vel materiam tenuem stipulis confertam (ap. Hum. p. 269); non singulos, sed binos misit in segetes, ne cursu nimis rapido procederent aut in antra se conferrent; nec eodem tempore, neque ex eodem loco id fecit.

Cum hoc facto Samsonis postea vulpinalia Romae nexum habere videntur: Romani mense aprili in circo alligabant ardentes faces ad caudas vulpium, quae eas exurebant, in memoriam damni [illegible] frumento a nimio calore solis imminenti (Zapl. p. 15)

5. קָמָה designat stantes segetes; in numero plurali hic dumtaxat invenimus. Budde censet primitus fuisse בִּשְׂדוֹת in agros (cf. Kittel, ad h. l.), sed ratio gravis deficit illam vocem corrigendi.

Samson, fletum cum risu excitandi artifex, media messe segetes Philistaeorum vastat, tam in manipulis, quam adhuc stantes, etiam vineas et oliveta, scilicet, omnia destruit.

V. textum originalem descriptive reddit.

6. Philistaei modo orientali ulciscuntur auctores damni.

7. Tam crudeliter agentes in causa meae uxoris et patris eius mihi iustam rationem praebetis poenae a vobis exigendae. Prius Samson segetes vastavit, nunc ab hominibus vindictam sumet.

hoc fecistis, ideo vindictam sumam de vobis et postea
quiescam. 8. Tum percussit eos (crus super femur) omni
ex parte plaga magn et descendit ac habitavit in
(rima) spelunca petrae ʿEtam. 9. Tum Philistaei as-
cenderunt, castra posuerunt in Iuda et invaserunt
Lechi. 10. Cum viri Iudae dixerunt: quare ascendistis
adversus nos, illi responderunt: ascendimus Samsonem
ligare et reddere ei, sicut nobis fecit. 11. Tum tria mil-

---

blousia aut kulsies

8. שׁוֹק עַל־יָרֵךְ crus super femur, sensus expressionis est obscurus. In corpore e contra femur est super crura. Kimchi (ap. Hum. p. 271) dicit percussisse ita, „ut fugientes et cadentes crura et pedes illiserunt femoribus". Alii esse proverbium aliquod statuunt, quo significatur eos omni ex parte verberasse, prout nos dicimus: a pedibus ad caput, quod sequens glossa: „plaga magna" confirmat. Alii aliter explicant.

עֵיטָם ʿElam, et 2 Paralip. 11,6 urbs sita erat intra Bethlehem et Teqóʿa in numero fortificatorum a Roboamo, sed ibi nulla spelunca invenitur. Schick (Zeitschrift des deutschen Palästina-Vereins, X, 143-146, ap. Lagr. p. 241) recognoscit ʿEtam aliquot horis spatio orientem versus a Soʿa, quo revera „descenditur".

Samsonis victoria ad Lechi (15,9–20).

9. וַיַּעֲלוּ ascenderunt Philistaei e planitie in montana Iudae.

וַיִּנָּטְשׁוּ se expanderunt, invaserunt, designat Philistaeos magno numero cum exercitu incursionem fecisse.

לֶחִי locus occurrens quoque 2 Sam. 23,11 (text. hebr.), nondum ab exploratoribus recognitus. V tantum sensum reddit et glossam continet. Invasionem Philistaeorum ad Samsonem puniendum habemus.

10. Viri tribus Iuda, timore prae Philistaeis affecti, ab eis causam invasionis quaerunt.

11. Magnus numerus i. e. tria millia descendentium ad Samsonem explicatur forsitan gravi emotione ob invasionem Philistaeorum, quae

lia hominum de Iuda descenderunt ad rimam petrae "E-
tam et dixerunt Samsoni: nonne nescis Philistaeos nobis do-
minari et quid nobis fecisti? Tum eis respondit: sicut
mihi fecerunt, sic eis feci. 12. Et dixerunt ei: descendimus
te ligare, in manum Philistaeorum te tradere, et Samson
dixit eis: iurate mihi vos me non interfecturos esse. 13. Et
responderunt ei, dicentes: non, sed tantum te ligare vo-
lumus et in manus eorum tradere, te autem occidere
certe nolumus; tum ligaverunt eum duabus novis funi-
bus et eduxerunt eum e petra. 14. Cum ipse pervenisset
usque ad Lechi et Philistaei iubilassent in eius occursum,
Spiritus Iahve irruit super eum et funes in humeris eius
evenerunt, sicut lina, quae igne comburuntur, et vincula

---

in unum tribum Iuda collegit. „Descenderunt," ut Samsonem captivum adducerent. „Philistaeos nobis dominari," est gravis nota historica, scilicet, iugum Philistaeorum erat tantum, ut de eo excutiendo ne quidem cogitaverint. „Quid nobis fecisti", i. e. poenam subibimus ob iniurias a te Philistaeis illatas. – Viri tribus Iudae, perterriti ob invasionem Philistaeorum, ad Samsonem se conferunt.

12. Iudaei finem (atėjimo tikslą) sui adventus Samsoni declarant: eum ligare volunt et in manus Philistaeorum tradere, quo certius ipsi ab omni vexatione liberentur. Samson respondet: sinam me ligari, modo iuretis me non interfecturos esse, i. e. ideam timoris, ne dolo occidatur, complectitur.

13. Poscenti promittunt, ille vero se ligandi sponte permittit.

14. Spiritus Iahve in robore extraordinario manifestatur. Samson facillime funes disrupit, perinde ac linea, quae sicca ubiprimum ignem

eius de manibus eius dissoluta sunt. 15. Et invenit recen-
tem maxillam asini, extendit manum suam, sumpsit eam
et [illegible] percussit ea mille viros. 16. Et Samson dixit: maxilla
asini firmiter verberavi, maxilla asini percussi mille viros.
17. Cum loqui finivisset, proiecit maxillam e manu sua
et vocavit illum locum Ramath Lechi. 18. Tum sitivit

---

senserint, statim comburuntur. Versus poeticum parallelismum continet. V libere reddit.

15. „Recentem" maxillam, i. e. adhuc solidam, nam antiquiora sicca ossa sunt fragilia. וַיַּךְ percussit, V vero minus recte vertit: „interfecit." Res terrore magis, quam ictibus gesta est. Philistaei securi vociferantes occurrunt et adversarium firmiter ligatum vident, sed ecce vincula disrumpuntur, liberatae manus informe quoddam genus armorum prehendunt et agitant. Primi feriuntur, terga vertunt sequentes atque postremos secum in fugam abripiunt. Similem victoriam habemus 1 Sam. 14, 14. 19, ubi Jonathan cum armigero solus inopinato suo adventu Philistaeorum copias in fugam egit (Hummel. p. 274). Numerus: mille est rotundus. V hunc versum libere vertit et etiam sensum mutat.

Igitur Samson magna clade Philistaeos afficit.

16. חֲמוֹר חֲמֹרָתָיִם unus asinus duo asini vel unus acervus, duo acervi, in contextu nullum sensum habet. G^{BA} verterunt: ἐξαλείφων ἐξήλειψα (delens delevi), V delevi; igitur antiquae versiones חֲמֹרָתָיִם legebant, tanquam verbum, non autem substantivum: חָמוֹר Qal inf abs, חֲמַרְתִּים Qal pf. 1 sing. cum suff. 3 pl. m., quae analogice cum arabica radice vertimus: verberando verberavi, i. e. firmiter verberavi. –

Itaque Samson cum risu hostibus occurrit.

17. Ramath Lechi (a v. רוּם altum esse) designat elevationem maxillae. Probabiliter collis formam maxillae asini habuit, inde locus nomen accepit. Hebraeis v. g. in usu erat abrupto colli nomen dentium tribuere (ap. Lagr. p. 243).

18. Labor et vires exhaustae sitim effecerunt. Igitur Samson sitiens

valde et clamavit ad Jahve, dicens: Tu dedisti per manum
servi tui hanc magnam victoriam, nunc autem siti moriar
et incidam in manum incircumcisorum. 19 Tum Deus
(rumpendo) aperuit cavum, quod est in Lechi, et ex eo
aqua egressa est; cum bibisset, rediit spiritus eius et re-
vixit, propterea vocatum est nomen eius (fontis) ʿAin
ha-Qore, qui est in Lechi usque ad praesentem diem.
20. Iudicavit autem Israelem in diebus Philistaeorum
viginti annis.

---

ad Deum orat, ne siti moriatur.

19. In loco, qui modo nomen Ramath Lechi acceperat, Deus fontem scaturire fecit in cavo petrae, הַמַּכְתֵּשׁ pilae (mortarii) formam praeseferente (Hamm. p. 276)

Perperam vertit V: „aperuit molarem dentem in maxilla asini", fons enim non ex maxilla asini, quam Samson proiecerat, egressus est, quod אֲשֶׁר־בַּלֶּחִי (cavum), quod est in Lechi, probat, secundum V hebraice esset: מַכְתֵּשׁ הַלֶּחִי cavum maxillae (st. estr.)

Locus ʿAin ha Qore, designans Fons invocantis, nondum est cognitus.

20. Habemus redactoris animadversionem cf. 16,31 Formula hic introducta est, quia sequentia opera infausta et captivitas Samsonis in mente s. auctoris tempus iudicis complecti non poterant

 

16, 1. Inde Samson abiit Gazam et vidit ibi mulierem meretricem ingressusque est ad eam. 2. (Cum nuntiatum esset) incolis Gazae his verbis: Samson huc venit, tunc circumdederunt et ex insidiis speculati sunt eum (tota nocte) ad portam urbis et taciti se continuerunt tota nocte, dicentes: ante lucem matutinam occidemus eum. 3. Samson autem dormivit usque

1. G^{AL} $\mathcal{S}^h$ post שִׁמְשׁוֹן inserunt ἐκεῖθεν, hebr. מִשָּׁם inde (cf. Kittel, ad h. l.).
2. Initio versus cum G^A ἀπηγγέλη inserimus, hebr. וַיֻּגַּד cum nuntiatum esset, secus propositio manca esset (cf. Kittel ad h. l.). Vg. libere vertit.

Initio cap. 16ⁱ vv. 1-3 separatim insertus est eventus Samsonis Gazae, qui tamen narrationem haud perturbat, nam amores Samsonis pingit et tali pacto nexum retinet.

Samson Gazae (16, 1-3).

1. Gaza sita ad littus maris Mediterranaei, erat munitissima urbs Philistaeorum. – אִשָּׁה זוֹנָה mulier meretrix. Frustra rabbini, patres quidam et exegetae cauponariam interpretari conati sunt, vox hebraica, graeca, latina, syriaca solam meretricem designat. – Samson Gazam venit (non quaerelarum causa, nec arcis inspiciendae gratia, sed) negotiis suis ductus et oblata dumtaxat occasione facile amoribus meretricis captus est.

2. Primum כָּל-הַלַּיְלָה tota nocte, est probabiliter dittographia mox sequentis eiusdem expressionis (Lagr. p. 246, Zapl. p. 73): noctu adversarii Samsonis quieti esse poterant, nam porta urbis, muro cinctae erat clausa, ita que egressio Samsonis esse impossibilis censebatur. – Incolae Gazae circa portam urbis et non potius circa domum meretricis insidias struunt, quia timebant Samsonem, ideo armati delituerunt, ut eum mane periculi incurrium egredientem sagittis aut deiectis saxis, si in solario turris erant, occiderent.

~~V. libera vertit~~

3. אֲשֶׁר עַל-פְּנֵי חֶבְרוֹן versus, contra vel qui respicit Hebron; haec expressio itineris tantum directionem, non autem longitudinem designat, Hebron

ad mediam noctem, surrexit media nocte, apprehendit valvas portae urbis et ambas postes, evellit eas una cum pessulo, imposuit humeris suis et portavit eas ad verticem montis, qui Hebron respicit.

4. Post haec amavit mulierem in valle Soreq nomine Dalila. 5. Tum principes Philistaeorum ascenderunt ad eam et dixerunt ei: persuade ei et disce, in quo sit ma

---

enim a Gaza circa 60 klm. distat. Illius montis distantia a Gaza non est exaggeranda, Samson probabiliter proximum urbi collem elegit. Christiana traditio indicat collem el Muntar, a Gaza dimidia hora itineris distantem, quo Samson portam urbis portavit.

Tertia pars (16,4-31).

Samson et Dalila (16,4-22).

4. Kaphar Soreq, pagus vel vicus Soreq erat notus Eusebio et s. Hieronymo (Onomasticon, ap. Lagr. p. 247), situs septentrionem versus ab Eleutheropoli in ditione tribus Iudae. Nomen Soreq accepit probabiliter ab electis vitibus, quae hebr. שֹׂרֵק vocabantur. Vallis Soreq fuit sive fertilis wadi Sarar, sive probabilius parva lateralis pars eiusdem septentrionem versus, ubi hodie Suriq invenitur.

Dalilam ex sequentibus apparet Philistaeam fuisse: fiducia, qua Philistaeorum principes eam adeunt, id prodit. Etymologia nominis est incerta; in arabica lingua significaret „indicatrix" (Lagr. p. 247).

In versu agitur de illicitis amoribus, non autem de matrimonio cum Dalila.

5. סַרְנֵי principes, terminus adhibetur tantum de quinque satrapiis Philistaeorum. Illi Samsonem tantum ligare volunt ad eum humiliandum, non autem occidendum. Hoc modo probabiliter facilius Dalilam ad proditionem adducunt. Reapse, postea promissionem adimpleverunt.

Singuli principes, quorum quinque erant iuxta urbes: Gaza, Azot, Ascalon, Geth, Ekron promittunt Dalilae: mille centum argenteos; hoc probabiliter

gnum robur eius et quomodo praevaleamus eum, ut vinciamus eum et affligamus eum, nos autem tibi dabimus singuli mille et centum argenteos. 6. Tum Dalila locuta est Samsoni: indica mihi, quaeso, in quo sit magnum robur tuum et quomodo ligari possis (ad te affligendum). 7. Et Samson dixit ei: si ligatus ero septem viridibus sarmentis, quae non erant exsiccata, infirmus ero et ervniam, ut ceteri homines. 8. Et principes

---

designat: mille siclos et etiam plus (cf. 17,2), quod magnam pecuniam complectitur; ex hac circumstantia et ex illa, quod personaliter venerant, patet, quantum eorum interfuerit secretum roboris cognoscendi.

6. Dalila, accepto proposito, statim inquirere incipit, in quo robur Samsonis consistat et etiam directe adiungit nonnisi subsequentem ideam principum: et quomodo ligari possis. Ultima tamen expressio [tikslu tave suvarginti] לְעַנֹּתֶךָ ad te affligendum, esset nimis puerilis, quae vv. 10.13.15 deficit; ideo exegetae eam omittunt.

7. יֶתֶר Lagr., Theodoreto et Iosepho Flavio nixus, vertit sarmenta [rykštes], palmites flexibiles.

לַח humidus, de ligno viridi usurpatur; sequenti verbo לֹא־חֹרָבוּ non exsiccata erant, eadem idea iterum exprimitur; ideo Samson enuntiat, tanquam conditionem omnino necessariam, ut ramusculi sint recentes. Equidem illa vincula non erant solida, inde non dicit se ea rumpi non posse, sed tantum fore infirmum. Numerus sacer: septem et illa pleonastica duplex nota de sarmentis novis magicum quid complectitur.

Tali modo Samson mulierem in petendo secreto importunam mendaci responsione a se avertit, attamen ut speciem veri affingat, conditiones et circumstantias indicat, ex quibus verisimilitudo [pagrindo] nascebatur.

8. וַיַּעֲלוּ et attulerunt (h. l. - Hiph. impf. 3 pl. m.), non necessario sequitur ipsos venisse.

וַתַּאַסְרֵהוּ et illa ligavit eum, probabiliter dormientem, etsi explicite,

Philistaeorum attulerunt ei septem viridia sarmenta, quae
non erant exsiccata, et (ipsa) his eum ligavit. 9. Insidi-
atores vero sedebant apud eam in cubiculo (dormitorio);
tum (ipsa) dixit ei: Philistaei sunt super te, Samson,
et ille rupit sarmenta, sicut rumpitur filum stuppeu, cum
hoc ignem senserit, nec innotuit (secretum) roboris eius.
10. Tum Dalila dixit Samsoni: ecce mihi illusisti et men-
dacia mihi locutus es, nunc indica, quaeso, mihi, quo li-
gari possis. 11. Et dixit ei: si firmiter ligatus ero novis
funibus, quibus opus nondum perfectum est, infirmus ero
et eveniam, sicut ceteri homines. 12. Tum Dalila sum-
psit novos funes, eis ligavit eum et dixit ei: Philistaei
sunt super te, Samson, insidiatores vero sedebant in cubi-
culo (dormitorio), ille autem rupit eos de brachiis suis, sicut

---

prout vv. 14 et 19 non est attestatum, sequitur tamen ex clamore Dalilae v. 9: Philistaei sunt super te, Samson.

Igitur requisita sarmenta sunt allata, quibus Dalila Samsonem probabiliter dormientem ligavit.

9. הָאֹרֵב insidiatores, est in sensu collectivo. פְּתִיל־הַנְּעֹרֶת filum stuppeu i. e. vile ac debile filum.

Primus conatus capiendi Samsonis infauste cessit.

10. Dalila non offensa, sed illusa conqueritur, attamen a proposito nequaquam deterrita secundo Samsonem tentat.

11. Iterum requisita conditio duplex et quidem synonima expressione enuntiatur: funes esse debent a) novi et b) nulli usui adhibiti. Rursus magicum quid sapit.

12. V libere reddit. | Dalila 2da vice Samsonem ligat et idem effectus sequitur.

fila. 13 Tum Dalila dixit Samsoni: quousque illudis mihi et loqueris mihi mendacia, indica (quaeso) mihi, quo ligari possis, et ille dixit ei: si plexueris septem cincinnos capitis mei cum stamine (et fixeris pectine, infirmus ero et evenium, sicut ceteri homines. 14. Tum sopivit eum et plexuit septem cincinnos capitis eius cum stamine) et fixit pectine et dixit ei: Philistaei sunt super te, Samson. Tum ille evigilavit e somno suo et evellit iugum textorium cum stamine.

13-14. Critic. text. cf. Kittel, ad h. l.

13-14. מַחְלְפוֹת ἅπαξ λεγόμενον, designat plexos capillos seu cincinnos, i. e. crines ad instar funium contortos. Samsonis capilli erant in septem cincinnos collecti.

הַמַּסֶּכֶת etiam ἅπαξ λεγόμενον, probabiliter significat stamen telae (osnova tkaniny).

Ulterius textus est mancus. V et G omissiones senserunt easque vage suppleverunt, v. g. V.: „et clavum his circumligatum terrae fixeris, infirmus ero. 14. Quod cum fecisset Dalila." Budde ope versionum lacunam complevit, quem recentissimi exegetae sequi solent. Cf. Kittel, Lect. var. ad h. l.

Scriba post עִם־הַמַּסֶּכֶת omisit seriem expressionum et transiit ad secundum יָּתֵד, v. 14° occurrens, loco primi יָּתֵד, statim sequentis. Sequens imago hoc loco describitur: Samson probabiliter cubat prope iugum textorium (ipsa praetereos (megisti) austi), cuius postes in pavimento fixae sunt, Dalila vero septem cincinnos capitis Samsonis firmiter stamini telae implicat (cf. Budde p. 106). Expergefactus Samson cum stamine etiam iugum textorium evellit.

Praeterea in fine v. 14ᶜ vox הַיָּתֵד, grammatice impossibilis, secundum omnes recentes interpretes, insertio posterior esse videtur.

Post ultimum הַמַּסֶּכֶת (v. 14) G^{AL} supra dictum (v. 9) finalem continent: וְלֹא נוֹדַע כֹּחוֹ et non innotuit robur eius, cfr. Kittel, Lect. var.

15. Tum illa dixit ei: quomodo loqui potes: amo te, cum
cor tuum non sit mecum, vice ter mihi illusisti et non indi-
casti mihi, in quo sit magnum robur tuum. 16. Cum illa in
sisteret ei sermonibus suis omnibus diebus et molesta urge-
ret eum ita, ut defatigata sit patientia eius usque ad
mortem, 17. tum aperuit ei totum cor suum, ei dicens:
novacula non ascendit super caput meum, quoniam naza-
raeus Dei sum ex utero matris meae; si rasus ero, recedet
a me robur meum, infirmus ero et evniam, sicut omnes ho-
mines. 18. Tum Dalila intellexit eum sibi totum cor
aperuisse, misit et vocavit principes Philistaeorum, dicendo:
hac vice ascendite, quia aperuit mihi totum cor suum. Tum
principes Philistaeorum ascenderunt ad eam et attulerunt pecuni-

---

18. Loco impossibilis לָהּ multi codices habent לִי mihi.
Loco וְעָלוּ 22 Mss continent: וַיַּעֲלוּ et ascenderunt

---

15. Cor tuum, hic designat non tantum amoris affectum, sed etiam fiduciam.
Primum accusatur Samson, quod eam, quam se amare toties tamque arden-
ter professus sit, re non amet, cum omnia intima pandere recuset. Dein quod ter
unicam rem rogatus, ter amatam decepit (Hummel. p. 282).
16. הֵצִיקָה in iisdem conditionibus cf 14, 17
Hyperbolice describitur lassitudo animi usque ad mortem.
17. Samson sincere confessus est secretum roboris sui.
18. Ultimum וַיַּעֲלוּ est Hiph. impf. 3 pl. m.: et attulerunt.
Ex fatione et vultu, quo Samson rem declaraverat, Dalila
hac vice intellexit eum veritatem dixisse, ideo principes Phi-
listaeorum vocat.

am in manibus suis. 19. Illa autem sopivit eum inter ge
nua sua, vocavit hominem et (hic) rasit septem cincinnos ca
pitis eius; tum coepit deficere et robur eius recessit ab eo.
20. Cum illa dixisset: Philistaei sunt super te, Samson, tum
evigilavit e somno suo et cogitavit: egrediar hac vice, ut an
tea et me excutiam, sed nescivit, Iahve ab eo recessisse.
21. Tum Philistaei apprehenderunt eum, eruerunt oculos
eius, duxerunt Gazam, vinxerunt eum duabus aeneis com
pedibus et molere fecerunt in carcere. 22. Sed capilli ca
pitis eius renasci coeperunt, ubiprimum rasus est. 23. Prin
cipes Philistaeorum convenerunt, ut immolarent magnum

---

19. Sec. G: עַל super, corrigimus in בֵּין inter; ex contextu loco וַתְּגַלַּח legimus: וַיְגַלַּח et (hic) rasit; sec. G^{AL} G^{h} loco וַתָּחֶל לְעַנֹּותוֹ legimus: לְעַנּוֹת וַיָּחֶל coepit deficere (cf. Kittel, lect. var.)

---

19. Munus Dalilae in eo consistebat, ut Samsonem dormientem teneret, proinde non ipsa caput rasit, sed tonsorem vocavit.

20. Iahve adhibetur loco: robur, ergo Deus, tanquam causa immediata fortitudinis considerabatur.

21. Caecum Samsonem ad opus servile condemnaverunt. Hunc laborem etiam caeci perficere poterant. Mola constabat duobus rotundis superpositis lapidibus, quorum superior duobus insertis ligneis (lardos) paxillis manibus vertebatur. Eius generis molae etiam nunc in Palaestina usu veniunt. Hodie mulieres farinam ad panem coquendum praeparant.

22. צָמַח in Pi. tantum comam crescentem designat. Cf. 2 Sam. 10,5; 1 Paral. 19,5; Ez. 16,7. – Postquam Samson rasus est, coma statim renasci coepit.

12. V. 1922

Mors Samsonis (16, 23–31).

23. Dagon totius confoederationis Philistaeorum deus fuisse videtur, nam Azoti templum quoque habuit. 1 Sam. 5, 1 sq.; 1 Mach. 10, 84; 11, 4.

sacrificium Dagoni, deo suo, et laetarentur, | dicentes: deus noster tradidit in manus nostras Samsonem, inimicum nostrum. | 24. Et populus vidit eum ^(hoc (Dagonem)), et laudavit deum suum, nam dicebat: deus noster tradidit in manus nostras inimicum nostrum, vastatorem terrae nostrae et (eum), qui multiplicavit occisos nostros. 25. Cum cor eorum hilare factum esset, dixerunt: vocate Samsonem.

236: וַיֹּאמְרוּ et seq., ab exegetis (Lagr. p. 253, Zapl. p. 78 et aliis) considerentur esse dittographiam ex v. 24°, introductam eo fine, ut festivitas ^(kad įrodytų, jog šventė [illegible]) ratione captivitatis Samsonis ^(dėlei Samsono nelaisvės) esse celebrata videatur; illa autem dies quotannis in honorem Dagonis ^(Dagonui pašvęsta) esse veniebat sine ulla relatione ad Samsonem, qui eo anno occasione festi producitur illudque auget.

24. הָעָם populus, est subst. collectivum, proinde praedicatum in pl. habemus. „Vidit eum" אֹתוֹ, non Samsonem designat, qui adhuc in carcere remanet. Vg. genere neutro vertit: „quod"; eum Hummel. (p. 285) sequitur, scilicet, magnificam solemnitatem, at similis usus vocis אֹתוֹ i. e. masculini gen. pro neutro, aliunde ex S. Scriptura confirmari nequit. Budde (p. 108) proponit coniecturam transponendi versum 24um post 25um: populus vocat Samsonem (v. 25) et videt eum (v. 24), sed in codicibus nullum vestigium inversi ordinis existit, ideo coniectura esset nimis audax. Nil obstat, quominus אֹתוֹ ad Dagonem (cf. Lagr. p. 253) seu eius statuam referamus, qua visa tempore solemnitatis populus laudat Dagonem pro ultima victoria, de Samsone reportata; deinde hac occasione adducunt Samsonem (v. 25) ut se delectent, i. e. festivitatem religiosam ludus sequitur.

25. שִׂחֵק et צִחֵק in Pi. sensum habent: iocandi ^(juokinti), ludendi ^(žaisti), quod nonnullis de Samsone non placet. „Inducere in animum non possumus, inquit Calmet, (ap. Hummel. p. 285) Samsonem ludicra et mimica exercuisse ad recreandos Philistaeos; sed libentissime credimus calonum lixarumque ^(halastra) turbam circa illum confertam indigna plurima vero ludentes irrogasse, Samsonem vero pluribus conantem, ut illos repelleret, ridendi materiam uberem spectatoribus exhibuisse." Attamen hic sensus

ut nos delectet, tum vocaverunt Samsonem ex carcere
et lusit ante eos, et statuerunt eum inter columnas
26. Et Samson dixit servo, tenenti manum eius: remit-
te me, ut tangam columnas, super quibus domus quie-
scit et super eas reclinar. 27. Domus autem erat plena
virorum et mulierum, ibi etiam (erant) omnes principes
Philistaeorum et super tecto circiter tria millia virorum
et mulierum, spectantium Samsonem, cum ille luderet.
28. Tum Samson invocavit Jahve dicens: Deus, Jahve,
memento mei, obsecro, et robora me, quaeso, solum hac vi-
ce, Deus, ut ulciscar una ultione Philistaeis pro duobus

---

verbis hebraicis ex aliis textibus non competit. Equidem textus sacer non indicat, in quo ludus consisteret; forsitan athleticum quid fuit, nam postea Samsonem ducunt ad se reficiendum.

V addit duas (columnas), quod hoc loco in textu originali deficit, nonnisi ulterius, i. e. v. 29 dicitur duas columnas tetigisse.

26. הֵנִּיחָה in Hiph. cum sequenti accusativo designat: remittere, ducere, cf. Gen. 2,15, quod ad contextum bene quadrat. Punct. masor. וַהֲיִמִשֵׁנִי esset a v. ימשׁ nullibi occurrenti, nos legimus וַהֲמִשֵׁנִי (cf. Kittel, lect. var.) Hiph. infin. cstr. a v. מֵשֵׁשׁ quod V recte vertit: ut tangam.

Igitur caecus Samson vindictam sumere de Philistaeis statuit.

27 v. difficultatem continet. Textus duas partes complectitur: domum et tectum; numerus hominum intra domum degentium non est indicatus, super solario vero erant circa tria millia. Hic numerus exegetis quibusdam (Budde p. 109, Nowack p. 137 et aliis) exaggeratus esse videtur, sed ignoramus, quam amplum illud planum tectum fuerit, ideo nil contra numerum spectatorum concludere possumus.

pilna tikėjimo, kurioje meldžia

28. Versus exhibet orationem Samsonis, plenam fidei, in qua culpa sua

oculis meis. 29. Tum Samson apprehendit duas medias co-
lumnas, super quibus domus quiescebat, et fultus est eis, al-
teri dextera sua, alteri sinistra sua. 30. Et Samson dixit:
moriar cum Philistaeis, inclinavit cum robore et domus ce-
cidit super principes et super omnem populum, qui intra
erat, et mortui, quos in sua morte occidit, erant plures, quam
quos in vita sua interfecerat. 31. Tum fratres eius et tota
domus patris eius descenderunt, sustulerunt eum, attulerunt
(ascendere fecerunt) et sepelierunt eum inter Sor'a et inter
Eštaol in sepulchro Manoach, patris eius. Ipse iudica-
vit Israël viginti annis.

---

antea amissum donum roboris restitui confidenter obsecrat.

29. וַיִּלְפֹּת ex textu hebraico et versionibus significat: amplexus est, apprehendit, quod difficile est intelligendi; inde accuratam imaginem scenae percipere non possumus, nam architecturam illius templi ignoramus. (cf. Zapl. p. 79).

30. נַפְשִׁי hebraismus designat: ego. וַיֵּט inclinavit (pasilenke) (columnis fultus), minus accurate habet V.: concussit.

In comparatione 30b sufficit cum verbis sensum tribuere, ut plures moriens occiderit, quam singulis quibusque vicibus ante interemisset. Nequaquam necesse est supponere Samsonem morientem praeter principes aliosque illis proxime assistentes, tria etiam hominum millia in solario interfecisse (Hummel. p. 288), nam de illis tribus millibus ex v. 27° textus sacer silet.

31. Nulla est ratio authentiam versus denegandi (contra Budde p. 109, Nowack p. 138): cadavera etiam inimicorum reddere solebant.

* *

*

Critica litteraria.

1. Genus litterarium operis Historia Samsonis multa elementa popularia exhibet, merito inde interpretes tenent eam, antequam conscripta sit, a populo narratam esse et nonnisi ex ore populi scriptis mandatam esse. Vita herois Hebraeorum in ea describitur et quidem ex maiori parte metrice exarata est; ideo historiam Samsonis ad speciem epos popularis referimus.[1] Quae cum ita sint, facile explicatur satyra, haud semel eminens: a) Philistaei imbecillo animo suo aenigma solvere non possunt, propterea intermediam mulierem adhibent. b) Samson pro uxore ablata segetes Philistaeorum incendit, at hi timidi non eum aggrediuntur, sed infirmam mulierem et senem patrem eius comburunt (15,6). c) Philistaei iubilant, cum Samsonem vinctum videant, attamen expectant, quousque Spiritus Iahve ei vires tribuat ita, ut maxilla asini plures in fugam egerit et proverbio satyrico eis illuserit (15,16). d) In urbe Gaza Philistaei Samsonem ex insidiis speculabantur, sed hic portas urbis evellit et in proximum collem defert (16,3). e) Magna pecunia Dalilae oblata, Samsonem dolo oculis privant, stupidi tamen in carcere capillos renasci non animadvertunt et multi tempore festivitatis imbecilli dei sui Dagonis, „cum cor eorum hilare factum esset,"

---

1) „Consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur." S. Hieronymus in Mt. 14,8 (Migne, P.L. 26 p. 98) et „Multa in Scripturis sacris dicuntur iuxta opinionem

ab eodem Samsone interficiuntur, in hoc satyra culmen attingit.

Cf. Roskoff,[1] qui notas satyrae in historia Samsonis prae ceteris perspexit in op.: „Die Samsonsage nach ihrer Entstehung, Form und Bedeutung und der Heraclesmythus." Leipzig 1860 p. 72 sqq.

19. V. 1922

2. Unitas narrationis. Historia Samsonis naturali modo in tres partes dividitur. Prima (c. 13) futurum munus liberatoris a iugo Philistaeorum et nativitatem pueri describit. Secunda (c. 14 sq.) ob infaustum matrimonium Samsonis cum Philistaea ex Timna ortas inimicitias contra Philistaeos et deinde seriem certaminum contra eos exhibet. Tertia (c. 16, 4-31) amores erga Dalilam pingit, qui Samsonem ad mortem perduxerunt in qua tamen notabili clade Philistaeos afficit.

Hac in narratione unitas est indubia, quae inter cc. 13 et 16 manifeste apparet: haec per secretum roboris, i. e. longam comam consecratam intime iunguntur. Odium vero contra Philistaeos supponit facta, inter duo extrema capita narrata (cc. 14-15); illa probe congruunt cum indole herois (Lagr. p. 256). Igitur, sine praeiudicio historiam Samsonis legentes, facile concludimus eam unum opus complecti.

Pauci interpretes, v. g. E. von Ortenberg (ap. Zapl. p. 2) asseruerunt narrationem ex duplici historia constare: robur Samsonis secundum Elohisticum fontem in nazaraeatu consistere, secun-

illius temporis, quo gesta referuntur et non iuxta quod rei veritas continebat." s. Hieronymus in Ierem. 28,10 (Migne, P. L. 24 p. 855).

1) professor evangelicae theologiae Vindobonae.

dum autem Jahvistuum hac circumstantia explicari, quod Spiritus Jahve interdum super Samsonem descenderit. Attamen nec ex argumento, neque ex forma separare possumus illos duos fontes. Ipsa segregatio nominum Dei: Jahve et Elohim comprobari non potest, praecipue v. g. cf. mortem Samsonis et al.

Budde (p. 91), Nowack (p. 114) aliique ex castris independentium hypothesim duorum fontium: J. et E. in historia Samsonis reiecerunt.

Budde tamen perfectam unitatem admittere non audet, duas enim species Jahvistici fontis: J_1 et J_2 distinguere vult (p. 92). Ipse et alii quidam animadvertunt adolescentiam heroum communiter esse recentioris manus, quam praeclara gesta eorum; per consequens c. 13 esse posterius reliqua narratione.

Sed hoc argumentum non est peremptorium neque hic applicari potest, nam ignoramus, quo tempore c. c. 14-16 exarata sint, equidem affirmare possumus ea post mortem Samsonis esse conscripta, i. e. tempore, quo initia Samsonis quoque narrabantur.

Alias observationes litterarias, v. g. fragmenta redactoris, (menda copistarum) etc. in decursu criticae realis fecimus.

Fusius cf. Budde, Lagrange, Zapletal.

——— " ———

Critica historica.

Historia Samsonis et mythologia.

Similitudo quaedam inter historiam Samsonis et Herculesmythum ab antiquis temporibus inveniebatur, scilicet, hunc esse imitationem historiae Samsonis deprehendebatur (v. g. Eusebius, Philastrius). Nonnisi dom Calmet[1] paulo accuratiorem comparationem inter utrumque instituit in commentario suo Iud. c. 16: „Cum Samsonis vita tot prodigiis referta sit, nihil est, quod miremur, si antiquitas profana e gestis eius gloriosa quaedam in heroum suorum decus transtulit. Gestorum Herculis pars nonnisi in Samsone veritatem historicam habent ut merito affirmari quodammodo possit, Herculem Samsonem esse personatum. Utriusque huius viri aetas ferme congruit, uterque enim bello Trojano proximus vixit: noscitur Hercules Phoenicius, in eadem regione summo honore habitus, non procul inde Samson florebat. Mirificum Herculis robur, elisus faucibus leo, servitus sub rege Euristhaeo quae mala perferre coactus est, ut sese ab illa expediret, Samsonem pingunt, virum mirifice robustum, qui leonem manibus suis discerpit, Philistaeorum manibus traditur, servitutem apud illos durissimam et probationem patitur."

Recentiores interpretes similem comparationem fecerunt, atta-

---

1) Eruditissimus Benedictinus 1672–1757. Scripsit commentarium in omnes libros utriusque Testamenti. 23 vol. et alia opera.

men ad alias conclusiones pervenerunt. Extraordinaria facinora, quae de Samsone narrantur, criticis Germaniae ansam dederunt, ut illa confida esse assererent eaque mythice explicarent.

Inter graviores attentione meretur teoria professoris philosophiae Berolini Steinthal[1], qui Samsonem cum Hercule comparavit et illum esse heroem solarem conclusit.

Secundum Steinthal aenigma Samsonis a nullo est solutum et nihil aliud designat, quam abundalissimum mel in Palaestina produci, cum sol in signo leonis[2] versetur

Samson idem est, qui Hercules Melkarth Phoeniciorum neque a sole alius שֶׁמֶשׁ, a quo etiam nomen Samsonis derivatur. Eius crines radios solis exprimunt, uti etiam Apollo quandoque solis radiis pro crinibus comatus effingitur. Leo, quem Samson in via discerpsit, non est verus, sed mythologicus: item Hercules gesta incipit, dum leonem Nemaeum occidit. Assyrii et Lydii, duo populi semitici, deum solis sub nomine Sandan vel Sandon colebant, quem sibi repraesentabant leones occidentem, eum saepe luctantem contra leonem vel cadaver leonis pede calcantem figurabant; in monumentis lydiis Patarae leo occurrit, tanquam animal Apollinis. Ex hisce Steinthal concludit leonem apud populos semiticos aestivi ardoris symbolum fuisse, quod innuunt flavus color leonis, color ignis, iuba, in memoriam aureos crines

1) in op. Die Sage von Simson, (in der Zeitschrift für Völkerpsychologie II, 1862, 129-178) ap. Zapl. p. 13 sq, ap. Vigouroux. La Bible et les découvertes modernes. 3, 209 sq.

2) Konstelacye gwiazd, jeden okrąg stanowiące, w których kolejno przypada

Apollinis revocans, tandem robur et saevitia leonis. Samson Hercules Sandon leonem interficit, quod beneficam virtutem, terram ab aestivo calore protegentem, designat. Leonem occidit, nihil in manu habens, simili modo Hercules Nemaeum leonem strangulat.

Canes aurei, etiam solis ardorem rufo colore et pilosa cauda significant. Canes aurei, cum facibus segetibus immissi demonstrant solem uredine segetes corrodere.

Obscurior asini maxillae ratio clarescit, ubiprimum advertimus asinum apud Hebraeos a rufo colore nomen nactum esse, iamque maxilla asini fulgur exprimit.

Samson, portas Gazae humeris gestans, est Hercules ab inferis redux.

Amor erga mulieres significat deum foecunditatis.

Ipse interitus Samsonis deum solis manifestat, sicut capilli crescentes sunt symbolum dei foecunditatis naturae tempore aestivo, ita rasi evanescentem fertilitatem hieme designant. Mors Samsonis clare nos in memoriam obitus Herculis Phoenicii reducit, uti dei solis, qui tempore hiemalis solstitii in extremo occidente moritur, ubi duae columnae, finem eius peregrinationis constituentes, collocatae sunt. Simili modo Samson moritur ad duas columnas templi, in quo festivitas deo Dagoni (pisciformi) celebratur, i. e. quando sol in signo aquarii stat, deus solis Samson moritur.

---

